Oxford
1884
Historical · Society

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
LIBRARY

Oxford Historical Society
VOL. LXIV

OXFORD BALLIOL DEEDS

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/oxforddeedsofbal00ball



The tenements of Balliol in the Town of Oxford

Frontispiece

THE OXFORD DEEDS
OF
BALLIOL COLLEGE

EDITED BY THE

REV. H. E. SALTER, M.A.

NEW COLLEGE, OXFORD

OXFORD
PRINTED FOR THE OXFORD HISTORICAL SOCIETY
AT THE CLARENDON PRESS
1913

OXFORD: HORACE HART, M.A.
PRINTER TO THE UNIVERSITY

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
FEB 5 1965
LIBRARY

26304

PREFACE

As Balliol, unlike the other ancient Colleges, has no rentals, no College accounts and no registers before 1540, the early history of the College must be compiled for the most part from the charters in the Muniment Chest. In this volume those deeds are printed which have most interest for residents in Oxford and for members of the University; all the documents which describe the acquisition of the site of the College and of properties in Oxford are given, and everything in the way of College Statutes before the statutes of Bishop Foxe. The documents which are not printed describe the acquisition of property in Northumberland, London, and elsewhere; and though they have some bearing on the early history of the College, their main interest is for local history.

The College deeds were arranged and numbered by the late Mr. George Parker some thirty years ago with considerable skill, but it has been necessary to depart from his arrangement. A table will be found at the end of the volume to connect the numbering adopted in this volume with the numbering adopted by Mr. Parker.

For the sake of those who are not familiar with mediaeval charters a few words may be said to explain the abbreviations used and the manner of printing. In transcribing the deeds the rules have been followed for the most part which are laid down in the preface to the Cartulary of St. Frideswide's, issued by the Oxford Historical Society. In the margin is printed the number which the deed bears in Mr. Parker's catalogue and also its date; where the date runs from Michaelmas to Michaelmas, as on pages 142 and 143, it is deduced from the names of the mayor and reeves or bailiffs. A mediaeval grant

DA
690
.O97
O8
v.4

opens with a clause such as 'Noverint universi hoc scriptum visuri vel audituri', as on page 168, or 'Omnibus Cristi fidelibus ad quos presentes littere pervenerint'; in some cases, as on page 188, this has been abbreviated to 'Omnibus [&c.]' or 'Noverint [&c.]'. Then after the names of the grantor and recipient and the description of the property, there comes, in all grants after the end of the thirteenth century, the phrase 'habendum & tenendum de capitalibus dominis feodi illius per servicia inde debita et de iure consueta'; in some cases, as on pages 214 and 215, this clause has been shortened. If the deed is a grant, there follows a clause of warranty, of which the full wording may be seen on pages 64 and 143; this clause contains no information and is abbreviated to 'Et ego [&c. warranty]'. If the deed is a quitclaim, not a grant, it generally ends with a long clause beginning 'ita quod nec ego', of which examples are printed in full on pages 144 and 169; in most cases this has been reduced to 'ita quod [&c.]', as on page 185. Occasionally there follows a sentence which mentions the price paid for the grant, beginning 'Pro hac autem donatione', as may be seen on page 7; where this sentence merely reproduces the string of four, five, or six words which has already occurred to describe the nature of the transaction, and adds no new information, the words are abbreviated, as on pages 2 and 3. Then follows the clause of sealing, sometimes beginning 'Et ut hec donacio robur perpetue firmitatis obtineat, hanc cartam sigillo meo munivi', or 'In cuius rei testimonium huic presenti carte sigillum meum apposui'; these forms are shortened to 'Et ut [&c. sealing]' or 'In cuius [&c. sealing]'. There are those who would have all documents transcribed in full, but the cost of printing has to be considered, and though there is risk in curtailing a deed of the first half of the thirteenth century, when we reach the latter half of the fourteenth century the legal terms are so fixed that abbreviation may be used with little danger.

It is not likely that much of importance will hereafter be

discovered to illustrate the early history of Balliol, but even while this volume was being prepared some unimportant facts have come to light. In the Coroners' rolls we have the story of a clerk who fell down stairs at Old Balliol Hall in December, 1300, and of a townsman who in May, 1382, climbed into an elm-tree within the close of Balliol Hall to disturb a nest of 'pies',[1] and slipping was injured so that he died. Also in the Sede Vacante Register[2] of Worcester we find a deed of June 13, 1402, which was executed at Oxford, in the house of Robert Stratford, between the 'Kateryne Whele' and North Gate, which proves the existence of that inn at a much earlier date than had been imagined. With regard to R. de Clothale, who is mentioned on page 336, note 3, it appears that he was of Oxford and a man of ability; for in the library at Erfurt the manuscript numbered F. 348 contains the 'questiones' given by Simon de Faversham at Oxford, reported by Robert de Clothale.[3] And, lastly, it appears from the Chancellor's register in the University Archives that although Balliol obtained possession of Sparrow Hall in 1427, it was still used as an Academic Hall as late as 1467.

The muniments of Balliol were inspected by Anthony Wood about the years 1665 and 1666, and in Wood MS. D. 2 there is a record of what he saw. It is satisfactory to find that all the deeds of which he makes mention are in existence now.

When this book was nearly complete, but before the Index was in print, a volume was discovered at Balliol which gives some notes about the houses which belonged to the College, made by various bursars from 1660 to after 1800. Some extracts from this volume are given in an Appendix.

A debt of thanks is due to those who have contributed towards the illustrations, to the Provost of Oriel who allowed

[1] Probably jackdaws; *Records of Mediaeval Oxford*, pp. 9 and 43.

[2] p. 386, published by the Worcester Record Society.

[3] *Verzeichniss der Amplonianischen Handschriften zu Erfurt*, by Dr. Wilhelm Schum, Berlin, 1887. This reference is due to Mr. A. G. Little.

LIST OF ILLUSTRATIONS

1. Plan of Oxford showing the tenements of Balliol *to face Title*
2. Site of Balliol College . . . . *facing p.* 1
3. Balliol in 1675 from Loggan . . . „ 26
4. Balliol in 1752 . . . . . „ 28
5. Caesar's Lodging about 1820 . . . . „ 80
6. The Katherine Wheel before 1828 . . „ 86
7. Suggested plan of Burnel's Inn . . . „ 100
8. Seal of Queen Margaret . . . . „ 116
9. Site of the Divinity School . . . . „ 138
10. Seal of Canterbury College . . . . „ 161
11. The Balliol houses in Queen Street in 1887 „ 180
12. Map of 1814 showing the Balliol shop . „ 208
13. High Street before 1872 . . . . „ 210
14. The site of the Ashmolean . . . . „ 212
15. Tenements of Balliol in Northgate Hundred „ 219
16. Houses on the site of the Ashmolean 1830–40 „ 228
17. Dervorguilla's Statutes . . . . . „ 277
18. Balliol in 1750 from Isaac Taylor's Map . „ 362
19. The College Seals, &c. . . . . „ 363
20. Seals of the University and Chancellor . „ 364
21. Seal of the Chancellor . . . . . „ 365



SITE OF

BALLIOL COLLEGE.

[Face page x

THE OXFORD DEEDS OF BALLIOL COLLEGE

I. THE SITE OF THE COLLEGE.

THE site of the College has been slowly acquired during more than six centuries, but with Trinity College on the east and St. John's on the north there is now no room for further expansion. The deeds have been arranged in the following order; first those which concern the earliest site of the College, where now is the front quadrangle; we then work westwards to the corner, and afterwards northwards, taking the tenements in their geographical order, not in the order in which they were obtained.

It will be noticed that many of the tenements were not acquired in the first instance for the purpose of enlarging the College, but were purchased as an investment and as a source of income; but before the end of the eighteenth century it had been found necessary to use for College purposes all the property which the College owned between Trinity College and St. John's.

1. THE TENEMENTS GIVEN BY DERVORGUILLA. 1–14.

On Aug. 1, 1284, Dervorguilla for the sum of 80 marks purchased from Thomas de Ew and John de Ew his father three tenements or sites in Horsemonger Street; they were bounded by Walter Feteplace on the east and Geoffrey le Sauser on the west. The easternmost of the three had belonged to Philip son of William de Ew, but had been sold by him to John de Ew for 10 marks; John le Espicer surrendered to him the next tenement for a rent of 9*s*., from which we may estimate that the property was worth nine marks; the last of the three, called Mareys Hall, belonged to John de Ew by his marriage with Joan daughter of Nicholas de Kingestone (see no. 13). On Jan. 7, 1285, a jury of Oxford gave the verdict that it would not be to the king's damage if Dervorguilla granted this property to the scholars of Balliol, but the licence of the king was only obtained ten months later. We cannot tell the dimensions of this property, but as most of the neighbouring tenements seem to have been 30 feet wide or more, we may estimate that it was about 90 feet wide, and

as it ran back to tenement no. 3 it must have been 190 feet from north to south. It must have covered what is now the western half of the front quadrangle.

I.

[Philip son of William de Ew grants to John de Ew an area in Horsemonger Street.]

D. 5. 4 Mich. 1283–Mich. 1284

Sciant presentes & futuri quod ego Philippus filius Willelmi de Ew burgensis Oxonie dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Iohanni de Ew fratri meo totam illam aream cum omnibus suis pertinenciis que iacet inter terram que fuit Iohannis le Especer ex una parte & terram Walteri Feteplace ex altera in Horsmongerestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie; habendam & tenendam totam dictam aream cum omnibus suis pertinenciis predicto Iohanni heredibus & assignatis suis quibuscumque de me & heredibus meis uel meis assignatis cuicumque, quandocumque & qualitercumque uoluerit dare, uendere, legare uel assignare in puram & perpetuam elemosinam uel aliter prout sibi, heredibus, uel assignatis suis melius placuerit tam in egritudine quam in sanitate libere, quiete, pacifice, integre & bene inperpetuum tanquam ius suum hereditarium, reddendo inde annuatim michi & heredibus meis uel meis assignatis unum clauum gariophili ad Pascha, et capitalibus dominis feodi quatuor denarios ad terminos consuetos pro omni seruicio, sectis curie, exaccione seculari & demanda. Et ego [&c. warranty]. Pro hac autem donacione [&c.] dedit michi predictus Iohannes decem marcas sterlingorum pre manibus. Ut igitur [&c. sealing], hiis testibus, Willelmo le Espicer tunc maiore Oxonie, Elya le Quilter tunc balliuo eiusdem, Nicholao de Kyngestone, Henrico Oweyn, Thoma de Sowy, Radulfo le Plomer, Waltero Bost, Henrico filio Milonis & aliis.[1]

2.

[John le Especer grants to John de Ew a messuage in Horsemonger Street.]

D. 5. 5 Mich. 1282–Mich. 1283

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes le Especer burgensis Oxonie dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Iohanni de Eu burgensi eiusdem unum mesuagium cum pertinenciis quod situm est inter terram Philippi de Eu ex una parte & terram predicti Iohannis de Eu ex altera in parochia sancte Marie Magdalene in suburbio

[1] Seal, pointed oval, a star and crescent, S' PHILIPIS (*sic*) DE HO.

Oxonie; habendum & tenendum predictum mesuagium cum pertinenciis predicto Iohanni de Eu & heredibus suis uel suis assignatis, de me & heredibus meis uel meis assignatis cuicumque uoluerit dare, uendere, legare uel assignare tam in egritudine quam in sanitate libere, quiete, pacifice & integre inperpetuum; reddendo inde annuatim michi & heredibus meis uel meis assignatis unum clauum gariophili ad Pascha, et capitalibus dominis feodi seruicium debitum & consuetum pro omni seruicio, exaccione & demanda. Et ego [&c. warranty]. Pro hac autem donacione [&c.] dedit michi predictus Iohannes de Eu nouem solidos annui redditus de tenementis subscriptis, uidelicet de illa shoppa[1] cum pertinenciis que sita est inter terram Thome de Grantpunt ex una parte & terram que fuit Galfridi le Mercer ex altera in parochia sancti Michaelis borealis Oxonie uiginti & octo denarios ad duos anni terminos uidelicet ad festum sancti Michaelis quatuordecim denarios et ad Pascha quatuordecim denarios, et de predicta (*sic*) shoppa proxima iuxta shoppam Nicholai de Gersingdone in eadem parochia triginta & duos denarios ad eosdem terminos, et de duabus shoppis cum pertinenciis que site sunt inter terram Willelmi de Eu ex una parte & terram que fuit Olyueri le Seinter[2] ex altera in parochia Omnium Sanctorum Oxonie quatuor solidos ad eosdem terminos in excambium. Ut igitur [&c. sealing], hiis testibus, Nicholas de Kyngestone tunc maiore Oxonie, Thoma de Sowy, Radulfo le Plomer tunc balliuis eiusdem, Henrico Oweyn, Philippo de Eu, Willelmo le Especer, Nicholas de Coleshulle, Iohanne Culuert, Iohanne Sewy, Waltero Bost, Galfrido le Sauser & aliis.

3

[The Prior of St. Frideswide's quitclaims to John de Ew a rent on Mareys Hall.]

Omnibus Cristi fidelibus presens scriptum uisuris uel audituris frater Robertus del Ewelme,[3] prior ecclesie sancte Frideswide Oxonie **D. 5 6. Feb.-Sept. 1284**

[1] We learn from rentals of Oseney that there were eleven shops in Cornmarket in front of the Roebuck, of which seven were in the parish of St. Michael, and four in St. Martin's. About 1280 the fourth shop was held by William le Wild, the fifth by Geoffrey le Mercer, the sixth by Nicholas de Gersingdone. John de Eu grants quitrents on the shops of William le Wild and Geoffrey le Mercer. According to the Hundred Rolls (ii. 797) John de Eu in 1279 owned quitrents of 2*s.* 4*d.* and 2*s.* 8*d.* from shops in the parish of St. Michael North.

[2] It appears from charters at Lincoln College that Oliver le Seinter owned a tenement opposite the east end of All Saints' Church, possibly at the corner of High Street. The Hundred Rolls are defective for the north-east ward of Oxford.

[3] He was not elected prior until Feb. 1284.

& eiusdem loci conuentus salutem in domino sempiternam. Nouerit uniuersitas nos unanimi consensu ac bona uoluntate nostra dimisisse, concessisse & omnino quietum clamasse pro nobis & successoribus nostris Iohanni de Eu filio Willelmi de Eu burgensi Oxonie totum ius et clamium quod habuimus uel aliquo modo habere potuimus in sex solidatis annui redditus quos annuatim percipere consueuimus per manus eiusdem Iohannis de illo mesuagio cum omnibus pertinenciis suis quod uocabatur Mareyshalle, quod situm est inter terram que fuit Philippi de Eu [1] a parte orientali & terram Galfridi le Sauser a parte occidentali in Horsmongarestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie ; habendos & tenendos predicto Iohanni et heredibus suis uel suis assignatis libere, quiete, pacifice et integre absque omni reclamatione nostrum et successorum nostrorum inperpetuum. Pro hac autem dimissione, concessione & quieta clamacione quietum clamauit nobis predictus Willelmus quatuor solidos annui redditus quos annuatim de nobis recipere consueuit de terra que fuit Ranulphi capellani que iacet inter terram que fuit Thome Curteys ex una parte & terram quondam Nicholai But ex altera in parochia sancte Frideswide Oxonie, & dictus Iohannes dedit nobis duos solidos annui redditus annuatim percipiendos de illo mesuagio cum pertinenciis suis quod fuit Walteri de la Pilere super magnum pontem, ut in carta feofamenti inde nobis facta plenius continetur.[2] In cuius rei testimonium presenti scripto sigillum nostrum una cum sigillo dicti Willelmi de Eu est appensum ; hiis testibus, Willelmo le Specer tunc maiore Oxonie, Philippo de Eu, Elya le Culter tunc balliuis eiusdem, Nicholao de Kinggestone, Henrico Oweyn, Galfrido le Sauser, Waltero Bost, Henrico filio Milonis & multis aliis.[3]

4.

[John de Ew grants to Thomas de Ew his son three areas in Horsemonger Street.]

D. 5. 7 Mich. 1283–Mich. 1284

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes de Ew burgensis Oxonie dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Thome de Ew filio meo & heredi totas illas tres areas cum edificiis & omnibus suis perti-

[1] Mareys Hall seems to have been bounded on the east by the tenement of John le Espicer, not of Philip de Ew ; but as John de Ew had already acquired the former tenement and added it to his own property of Mareys Hall, the neighbour on the east would be Philip de Ew.

[2] See *Cart. S. Frid.* i. 125 and 186.

[3] With two seals, a fragment of the seal of the convent, and a small seal representing a kneeling figure ; illegible ; evidently the private seal of the prior.

nenciis que simul iacent inter terram quondam Galfridi le Sauser ex parte una & terram Walteri Feteplace ex parte altera in Horsmongerestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie, habendas & tenendas totas dictas tres areas cum edificiis & omnibus suis pertinenciis predicto Thome de Ew filio meo & heredi, heredibus & assignatis suis quibuscumque de me & heredibus meis uel meis assignatis cuicumque, quandocumque & qualitercumque dare, legare, uendere uel assignare uoluerit, tam in egritudine quam in sanitate, in puram & perpetuam elemosinam uel aliter prout sibi heredibus uel assignatis suis melius placuerit libere, quiete, integre, bene & in pace in perpetuum, tanquam ius suum hereditarium, reddendo inde annuatim michi & heredibus meis unum denarium ad Pascha & domino feodi quatuor denarios ad festum sancti Martini & lumini ecclesie beate Marie Magdalene duos denarios ad Pascha pro omni seruicio, exaccione seculari, sectis curie, consuetudine & demanda. Et ego [&c. warranty]. Et ut [&c. sealing], hiis testibus, Willelmo le Especer tunc maiore Oxonie, Elya le Quilter tunc balliuo eiusdem, Nicholao de Kyngestone, Henrico Oweyn, Thoma de Sowy, Radulfo le Plomer, Waltero Bost, Henrico filio Milonis & multis aliis.[1]

5.

[Thomas de Ew appoints an attorney to receive seisin from his father of a plot of ground in Horsemonger Street.]

Omnibus Cristi fidelibus presentes litteras uisuris uel audituris Thomas de Ew filius & heres Iohannis de Ew burgensis Oxonie salutem in domino. Noueritis me ordinasse, fecisse & constituisse dilectum michi in domino Thomam filium Radulphi atornatum meum eo quod personaliter interesse non potero ad recipiendum seysinam de tota placea terre que iacet inter terram quondam Galfridi le Sauser ex parte una in Horsmongerestrete & terram Walteri Feteplace ex altera, quam placeam cum edificiis & omnibus suis pertinenciis dedit michi Iohannes de Ew pater meus prout continetur in quadam carta inde confecta. Ordinaui etiam feci & constitui eumdem Thomam atornatum meum ad donandum seysinam eiusdem placee cum edificiis & omnibus suis pertinenciis predictis, si me abesse contigerit, cuicumque seu quibuscumque, quandocumque & qualitercumque me contigerit dictam placeam dare, legare, uendere uel assignare, ratum habiturus

D. 5. 8
May 19, 1284

[1] Seal, circular, $1\frac{1}{8}$ in., a bird, S' IOHANNIS DE EW.

& gratum quicquid dictus atornatus meus nomine meo fecerit in premissis. In cuius [&c. sealing]; dat' Oxonie in crastino Ascensionis domini anno regni regis Edwardi duodecimo.

6.

[An acknowledgement of John de Ew of certain conditions which he is bound to observe towards Dervorguilla.]

D. 5. 9 Memorandum quod Iohannes de Ew tenetur prouidere domine de Balliolo in sex denaratis annui redditus in loco competenti. Item quod Iohannes tenetur facere dicte domine securitatem de tribus areis in Horsmongerestrete Oxonie, secundum quod prouidetur in quadam cedula inde confecta & domino Cancellario tradita. Item idem Iohannes tenetur procurare in curia domini regis quod filius suus Thomas qui est heres suus leuet finem de dictis tribus areis inter ipsum & dictam dominam ubi & quando per breue domini regis ipsos citari contigerit, ita tamen quod tantum uiginti solidos pro laboribus recipiet & expensis & dicta domina residuum sumptibus suis procurabit.[1] Item idem Iohannes tenetur procurare pro se & filio suo omnem securitatem quam dicta domina cum consilio suo sciuerit ordinare secundum leges & consuetudines regni Anglie, si tamen ipsi domine uideatur quod securitas in dicta cedula contenta minus sibi uel heredibus & assignatis suis suffecerit. Item dictus Iohannes fatetur se recepisse decem marcas pro parte solucionis octoginta marcarum quas debet recipere de domina supradicta pro uendicione trium arearum predictarum, quas quidem decem marcas tenetur attornato ipsius domine totaliter restituere una cum grauaminibus, dampnis & expensis que taxabuntur per simplex uerbum ipsius attornati, si in predictis uel aliquo predictorum defecerit, ex quo racionabiliter fuerit premunitus. Item idem Iohannes tenetur reddere predicto attornato omnes cartas & munimenta que quoquomodo tangunt tres areas in predicta cedula contentas. Et ut omnia & singula prescripta firmiter obseruentur dicti Iohannes & Thomas filius suus & heres subiciunt se iurisdiccioni magistri R. cancellarii Uniuersitatis Oxonie uel eius successoris compellendi si in eis remaneat quominus omnia & singula predicta consummentur in forma prenotata. In cuius rei testimonium Iohannes & Thomas filius suus & heres predicti omnia & singula predicta se

[1] i.e. she would pay the legal charges; the twenty shillings were to cover the personal expenses of Thomas de Ew.

adimplere fideliter promiserunt in presencia & in hospicio domini Cancellarii supradicti.[1]

7.

[Thomas de Ew grants to Dervorguilla his plot of land in Horsemonger Street.]

Sciant presentes & futuri quod ego Thomas de Ew filius & heres Iohannis de Ew burgensis Oxonie dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui nobili mulieri domine Deruorgwylle de Galewythia domine de Balliolo totam illam placeam cum edificiis & omnibus suis pertinenciis que iacet inter terram quondam Galfridi le Sauser ex parte una & terram Walteri Feteplace ex parte altera in Horsmongerestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie, habendam & tenendam totam dictam placeam cum edificiis & omnibus suis pertinenciis predictis predicte nobili mulieri domine Deruorgwylle de Galewythia domine de Balliolo, heredibus & assignatis suis quibuscumque, quandocumque & qualitercumque dare, legare, vendere, uel assignare uoluerit in puram & perpetuam elemosinam uel aliter prout sibi, heredibus uel assignatis suis melius placuerit, libere, quiete, integre, bene & in pace inperpetuum, tanquam ius suum hereditarium; reddendo inde annuatim michi & heredibus meis unum denarium ad Pascha & domino feodi quatuor denarios ad festum sancti Martini & lumini ecclesie beate Marie Magdalene duos denarios ad Pascha pro omni seruicio, exaccione seculari, sectis cur*iarum*, consuetudine & demanda. Et ego [&c. warranty]. Pro hac autem donacione, concessione & presentis carte mee confirmacione, warantizacione, acquietacione & defensione dedit domina Deruorgwylla de Galewytha domina de Balliolo supradicta michi Thome de Ew antedicto octoginta marcas sterlingorum pre manibus. Et ut [&c. sealing], hiis testibus, Willelmo le Espicer tunc maiore Oxonie, Philippo de Ew, Elya le Quilter tunc balliuis eiusdem, Nicholao de Kingestune, Henrico Oweyn, Iohanne Kiluerd, Iohanne Sewi, Thoma de Sowi, Radulfo le Plomer, Waltero Bost, Henrico filio Milonis, Willelmo de Wodestone & aliis.[2] D. 5. 10 May–July, 1284

[A duplicate of D. 5. 10, with the same seal.] D. 5. 11

[1] With the seal of the Chancellor, SIGILL' CANC . . . ARII OXONIE. A man preaching, above him a star and a hand.

[2] Seal, pointed oval, white, $1\frac{1}{4}$ in. × $\frac{7}{8}$ in., two birds on each side of a fleur de lys, S' THOME DE EW FL'I IOH'IS D' EW. Endorsed 'Feoffamentum Thome de Ewe de aula nostra in qua manemus'. The last six words are in other ink, but in an early hand (1300–20).

8.

[Dervorguilla appoints two scholars at Oxford to be her attorneys to receive seisin of three areas in Horsemonger Street.]

D. 5. 12
Aug. 1, 1284

Omnibus Cristi fidelibus presens scriptum uisuris uel audituris Deruorguilla de Galewythia domina de Balliolo salutem in domino sempiternam. Ad uniuersitatis uestre noticiam uolumus peruenire quod nos ordinauimus, fecimus & constituimus dilectos nobis in Cristo magistrum Willelmum de Menyl & dominum Iohannem de Castre Bernard' scolares Oxonie uel eorum alterum si ambo presentes esse non poterunt attornatos nostros uel atornatum nostrum ad petendum, recipiendum & retinendum seysinam de tribus areis simul iacentibus in Horsmongerestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie inter terram quondam Galfridi le Sauser ex parte una & Walteri Feteplace ex altera; quas quidem areas de Iohanne de Ew burgensi Oxonie emimus & ab eodem Iohanne uel a Thoma filio suo & herede uel ab utroque secundum quod atornati nostri predicti melius ad opus nostrum uiderint expedire nos & heredes nostri & nostri assignati infeodari debemus cum edificiis & omnibus suis pertinenciis secundum quod in quadam carta inde confecta plenius continetur. Ordinauimus eciam, fecimus & constituimus dictos magistrum W. & dominum I. atornatos nostros coniunctim & diuisim ad donandum seysinam earundem arearum cum dictis edificiis & omnibus suis pertinenciis cuicumque seu quibuscumque & quandocumque ipsas nos dare, legare, uendere uel assignare contigerit, ratum habentes & gratum quicquid duo atornati predicti uel eorum alter circa dictarum arearum seysinam petendam, capiendam, retinendam, seu conferendam nomine nostro duxerint uel duxerit faciendum. In cuius rei testimonium has litteras nostras sigillo nostro signatas dictis nostris atornatis transmisimus patentes. Dat' apud Castrum nostrum de Fodringeye in festo sancti Iohannis ante portam Latinam. Anno domini MCC octogesimo quarto.[1]

9.

[John de Ew confirms the grant of Thomas his son.]

D. 5. 13
Mich. 1285–Mich. 1286

Omnibus Cristi fidelibus presentem cartam uisuris uel audituris Iohannes de Ew burgensis Oxonie salutem in domino. Noueritis me

[1] The seal, now lacking, was on a strip, and the deed was fastened with another strip.

pro me & heredibus meis concessisse & hac presenti carta mea confirmasse nobili mulieri domine Deuorguille de Galewythia domine de Balliolo totam illam placeam terre cum mesuagiis, edificiis & omnibus suis pertinenciis in Horsmongerestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie, que quidem placea iacet inter terram quondam Galfridi le Sauser ex parte una & terram Walteri Feteplace ex altera, habendam & tenendam de me & heredibus meis predicte domine Deuorguille & heredibus ac assignatis suis quibuscumque libere, quiete, integre, bene & in pace hereditarie imperpetuum, reddendo inde annuatim michi & heredibus meis unum clauum gariophili ad Natale domini & domino feodi quatuor denarios ad festum sancti Martini et lumini ecclesie beate Marie Magdalene Oxonie duos denarios ad Pascha et Thome de Ew filio meo & heredibus suis unum denarium ad eundem terminum pro omnibus seruiciis, consuetudinibus, sectis cur*iarum*, secularibus exaccionibus & demandis. Et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne Culuert tunc maiore Oxonie, Nicholao Aurifabro, Thoma de Sowy tunc balliuis eiusdem uille, Elya le Quilter, Nicholao de Kyngestone, Henrico Oweyn, Radulfo le Plomer, Waltero Bost, Henrico filio Milonis & aliis.

Endorsed. Ista confirmatio est inrotulata ad Bancum Regis ad instanciam Iohannis de Ew.

10.

[Dervorguilla grants her plot of ground in Horsemonger Street to the Principal and Scholars of Balliol.]

Omnibus Cristi fidelibus presentem cartam uisuris uel audituris Deruorguilla de Galewithia domina de Balliolo salutem in domino sempiternam. Noueritis me dedisse, concessisse & hac presenti carta mea confirmasse magistro Waltero de Fodringeye principali & scolaribus dictis de Balliolo Oxonie totam placeam meam cum omnibus edificiis & pertinenciis suis iacentem inter terram quondam Galfridi le Sauser ex parte una & terram Walteri Feteplace ex altera in Horsmongeristrete in suburbio Oxonie, habendam & tenendam totam dictam placeam cum omnibus edificiis & pertinenciis suis dictis principali & scolaribus & eorum successoribus ibidem intrantibus & commorantibus, secundum statuta ad hoc specialiter ordinata & meo sigillo consignata, de me & heredibus meis in liberam, puram & perpetuam elemosinam adeo libere, quiete, honorifice, bene & in pace sicut aliqua D. 5. 15 [c. 1285]

elemosina in regno Anglie cuicumque uel quibuscumque & sub quacumque forma uerborum concedi poterit aut donari. Et ego & heredes mei dictis principali & scolaribus & eorum successoribus ibidem intrantibus & commorantibus in forma predicta totam dictam placeam cum edificiis & omnibus suis pertinenciis contra omnes gentes warantizabimus, acquietabimus & defendemus in perpetuum. Et ut hec mea donacio, concessio, confirmacio, warentizacio, acquietacio & defensio robur perpetue firmitatis optineat, hanc cartam dictis principali & scolaribus tradidi meo sigillo signatam. Hiis testibus, domino Oliuero dei gracia tunc episcopo Lincolniensi, magistro Rogero de Rodewelle tunc Cancellario Uniuersitatis Oxonie, fratre Roberto de Ewelme tunc priore sancte Frediswide, Willelmo le Espicer, Nicholao de Kingestone, Philippo de Ew, Iohanne fratre eius & aliis.[1]

II.

[An inspeximus of a charter of Dervorguilla by John de Balliol her son.]

D. 5. 16 Omnibus Cristi fidelibus presens scriptum uisuris uel audituris Iohannes de Balliolo salutem in domino sempiternam. Noueritis me uidisse & inspecsisse scriptum karissime domine matris mee domine Deruorguille de Galewythya, domine de Balliolo, de feofacione & perpetuacione domus scolarium de Balliolo Oxonie suo sigillo signatum in hec uerba :—In nomine sancte Trinitatis & indiuidue Unitatis patris & filii & spiritus sancti, Amen, gloriosissime uirginis Marie, uirginis ac martiris Katerine beatissime, totiusque curie celestis &
[1285] ecclesie militantis. Ego Deruorguilla de Galwythia domina de Balliolo in mea propria uiduitate & legia potestate constituta, cupiens & uolens quamdam elemosinam Oxonie perpetuare ubi uiget studium generale, quam bone memorie dominus Iohannes de Balliolo sponsus meus karissimus cuius anime propicietur Altissimus pietatis intuitu quondam suscitauit ibidem, pro anima uidelicet dicti sponsi mei predilecti & pro animabus patris mei, matris mee, & omnium predecessorum meorum, set et pro salute propria, prolis mee, & omnium successorum meorum do, concedo & inperpetuum pro me & heredibus meis confirmo magistro Waltero de Fodringeye principali & sociis suis scolaribus dictis de Balliolo in Uniuersitate Oxonie studentibus & eorum successoribus per legitimam eleccionem societatem illam intrantibus & in ea commorantibus, secundum quedam statuta ad hoc specialiter

[1] With the seal of Dervorgilla, filia Alani, &c.; see no. 564.

ordinata & meo sigillo roborata, totam placeam cum edificiis & omnibus suis pertinenciis quam emi de Thoma de Ew filio & herede Iohannis de Ew burgensis Oxonie in Horsmongerestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie, quam quidem placeam cum edificiis predictis principali & scolaribus & eorum successoribus pro loco habitacionis inperpetuum concedo & assigno; quem etiam locum domum scolarium de Balliolo scenseo nuncupari; in qua dictos principalem & scolares & eorum successores in forma predicta ad dictam societatem electos perpetuo moraturos esse descerno. Cui siquidem domui & scolaribus in eadem, concedente domino, in perpetuum moraturis totam terram de Stanwortham & de la Howh' in comitatu Norhumbr' cum omnibus suis pertinenciis concessi, assignaui & in subsidium perpetue sustentacionis predictorum principalis & scolarium & eorum successorum pro me & heredibus meis confirmaui. Quam quidem terram executores testamenti domini Iohannis de Balliolo dilecti sponsi mei supradicti emerunt dudum de domino Roberto Walrauen pro quadam summa pecunie in dicto testamento ad hoc specialiter ordinata. Omnia uero supradicta dictis principali & scolaribus & eorum successoribus dedi, concessi & assignaui & libera uoluntate mea pro me & heredibus meis confirmaui in liberam, puram & perpetuam elemosinam. Et ego & heredes mei omnia predicta dictis principali & scolaribus & eorum successoribus contra omnes mortales warantizabimus, acquietabimus & futuris temporibus defendemus in omnibus & per omnia secundum tenorem cartarum quas eis inde confeci meo sigillo roboratarum. Et ut hec mea donacio, assignacio, confirmacio, warantia, acquietacio & defensio pro me & heredibus meis dictis principali & scolaribus & eorum successoribus robur perpetue firmitatis & stabilitatis optineant, presenti scripto sigillum meum est appensum. Hiis testibus, dominis Antonio dei gracia episcopo Donelmensi & Oliuero eadem gracia episcopo Lyncolniensi, dominis Hugone de Euer, Iohanne de Swyneburne, Roberto de Meneuile, Waltero de Camhowe militibus, magistro Rogero de Rowelle tunc Cancellario Uniuersitatis Oxonie, magistro Symone de Gandauuo tunc eiusdem uille archidiacono, domino Roberto Auenel tunc rectore ecclesie de Stanwortham, Iohanne de Erintona, Ricardo Beneyth, Willelmo de Daltona & aliis. Ego uero Iohannes de Balliolo filius & heres domini Iohannis de Balliolo, omnibus predictis inspectis & bene & distincte intellectis, ipsa omnia & singula prescripta in omnibus & per omnia secundum quod liberius, quietius uel melius predictum est pro me & heredibus meis concedo,

ratifico & inperpetuum confirmo. Et ut hec mea concessio, ratificacio & confirmacio pro me & heredibus meis in omnibus & singulis prescriptis perpetuum robur firmitatis optineant, hoc scriptum sigillo meo roboratum predictis scolaribus fieri feci, hiis testibus, dominis Gilberto de Unfrauile comite de Anegus, Roberto filio Rogeri, Rogero de Lonecastre, Hugone de Euer', Roberto de Insula, Waltero de Camhowe, Iohanne de Swyneburne, Hugone Gubyun, Roberto Bertram de Bothale, Rogero Maudut, Radulfo de Essingdene militibus & aliis.[1]

12.

D. 5. 17

[A duplicate of no. 11 in everything except that it is issued by John son of John de Balliol; seal lacking.]

13.

[An inquisition Ad Quod Dampnum about the grant of Dervorguilla to the Scholars of Balliol.]

Inq. ad q. d. File 9 no. 22 (Record Office) Dec. 29, 1284

Edwardus [&c.] uicecomiti Oxon salutem. Precipimus tibi quod per sacramentum proborum & legalium hominum de comitatu tuo, per quod rei ueritas melius sciri poterit, diligenter inquiras utrum esset ad dampnum nostrum vel alicuius alterius, si concederemus quod dilecta nobis in Christo Deruergulla que fuit uxor Iohannis de Balliolo feoffare posset magistrum Walterum de Fodringeye & socios suos scolares domus de Balliolo Oxon' studentes de uno mesuagio cum pertinenciis in suburbio Oxonie, habendo & tenendo sibi & successoribus suis, scolaribus eiusdem loci, in liberam & puram elemosinam imperpetuum. Et si hoc esset ad dampnum nostrum aut alicuius alterius, ad quod dampnum & cuius alterius, et qualiter et quomodo, & quantum messuagium illud ualeat per annum in omnibus exitibus et de quo teneatur et per quod seruicium. Et inquisitionem illam inde distincte & aperte factam nobis sub sigillo tuo & sigillis eorum per quos facta fuerit sine dilatione mittas & hoc breue. Teste me ipso apud Bristoll xxix die Decembris anno regni nostri xiii.

Inquisicio facta per sacramentum xii iuratorum de Hundredo extra portam borialem Oxon per preceptum domini regis scilicet Roberti de Heyfford, Willelmi de Brempton, Hugonis le Mersse, Rogeri de Caldecote, Athelardi le Mercer, Walteri Bost, Willelmi Bost, Roberti

[1] Seal circular, $1\frac{1}{8}$ in., a shield, with the arms of Balliol (see no. 564), S' IEHAN DE BAILLOVELL.

de Brackele, Iohannis le Sclatter, Rogeri de Wigornia, Ade le Wilde & Iohannis de Dodefford, qui dicunt per sacramentum suum quod domina Deruergulla que fuit uxor Iohannis de Baliolo bene potest feoffare magistrum Walterum de Foderingeye & socios suos scolares domus de Baliolo Oxonie studentes de uno messuagio cum pertinenciis suis in suburbio Oxonie. Dicunt etiam quod illud tenementum est de tribus feodis que apropriantur in unum per empcionem Iohannis de .O., de quibus unum feodum fuit Willelmi Burgeis[1] et debet unum denarium annui redditus ad festum sancti Martini et unum denarium de hidagio ad Hockedai & seruicium unius diei in Augusto ad metendum apud Hedindon & ualet seruicium unum denarium; et aliud feodum fuit Iohannis le Wepere et debet IIII denarios annui redditus ad festum sancti Martini et duos denarios de hidagio ad Hockedai et debet sectam Hundredi de tribus septimanis in tres septimanas, et potest secta illa redimi per annum per XII denarios, item debet seruicium unius diei ad fenum leuandum in Norham & ualet seruicium unum denarium, et seruicium unius diei per unum hominem ad metendum in Augusto apud Hedindon et ualet seruicium unum denarium; item debet quatuor denarios summo altari in ecclesia beate Marie Magdalene. Et tercium feodum fuit Nicholai de Kingestone, de quo feoffavit Iohannem de Ow cum Iohanna filia sua in liberum maritagium & nullum debet seruicium. Et totum tenementum tenetur in capite de domino rege. Et sciendum est quod secta Hundredi predicta debetur ad tria tantum, uidelicet quando breue domini regis uenit placitari in Hundredo, et quando latro debet iudiciari in Hundredo, et quando summoniti sunt ad forciamentum curie de iudicio. In hiis tribus modis debent sectam tantum; et si nec uenerint nec essoniati fuerint, non debent propter hoc grauiter amerciari. Et in omnium predictorum testimonium predicti iurati huic scripto sigilla sua opposuerunt. Dat' apud Oxoniam in crastino Epiphanie, anno regni regis E. terciodecimo.

14.

[Licence in mortmain by Edward I.]

Edwardus dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie & dux Aquitannie, omnibus balliuis & fidelibus suis ad quos presentes littere peruenerint salutem. Licet de communi consilio regni nostri prouiderimus quod non licet uiris religiosis seu aliis ingredi feodum alicuius ita quod ad mortuam manum deueniat sine licencia nostra & capitalis domini

B. I. 102 Oct. 12, 1285

[1] Identical with William de Eu.

de quo res illa tenetur immediate; uolentes tamen dilecte nobis Deruergulle que fuit uxor Iohannis de Balliolo graciam facere specialem dedimus ei licenciam quantum in nobis est quod unum mesuagium cum pertinenciis in suburbio Oxonie dare possit & assignare dilectis nobis magistro[1] & scolaribus domus de Balliolo Oxonie studentibus, habendum & tenendum sibi & successoribus suis in perpetuum; et eisdem magistro & scolaribus quod predictum mesuagium a prefata Deruergulla recipere possint similiter licentiam concedimus specialem, nolentes quod predicta Deruergulla uel heredes sui seu prefati magistri & scolares aut successores sui per nos uel heredes nostros occasione statuti predicti inde occasionentur in aliquo seu grauentur, saluis tamen capitalibus dominis feodi illius seruiciis inde debitis & consuetis. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Wintoniam duodecimo die Octobris, anno regni nostri terciodecimo.[2] Irestede.

2. Four Tenements to the east of Dervorguilla's Gift. 15–17.

On the east of the original site of Balliol there were four tenements, covering the ground as far as Durham College, now Trinity College, two of John de Eynsham lying between two of John Feteplace. The two latter were conveyed to Balliol in 1310; how and when the two former passed into the possession of the College is unknown.

15.

[John Feteplace grants two plots of ground in Horsemonger Street to Thomas de Heworthe and Thomas de Pontefract.]

D. 5. 1
Apr. 14, 1303

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes filius & heres Walteri Feteplace de Oxonia dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui magistris Thome de Heworthe & Thome de Pontefracto clericis duas placeas terre cum omnibus suis pertinenciis in Horsmongerestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio extra portam borealem Oxonie quarum una placea iacet inter terram scolarium domus de Balliolo in suburbio Oxonie ex parte una & terram quondam Iohannis le Sclatter de Eynesham ex parte altera, alia uero placea iacet inter terram quondam dicti Iohannis le Sclatter de Eynesham ex parte una & terram quondam Iohannis Sewy ex parte altera;

[1] In other charters (e. g. no. 10) he is styled *principalis*.

[2] With the great seal attached by silk threads of green and pink: D. 5. 14 is a duplicate of this charter.

tenendas & habendas de capitalibus dominis feodi predictas duas placeas terre cum omnibus suis pertinentiis predictis magistris Thome de Heworthe & Thome de Pontefracto & heredibus & assignatis suis quibuscumque libere, quiete, integre, bene & in pace, iure hereditario in perpetuum, reddendo inde annuatim capitalibus dominis feodi illius seruicia debita & consueta. Et ego predictus Iohannes & heredes mei predictas duas placeas terre cum omnibus suis pertinenciis predictis magistris Thome de Heworthe & Thome de Pontefracto & heredibus & assignatis suis quibuscumque contra omnes gentes warantizabimus & defendemus in perpetuum. Pro hac autem donacione, concessione ac presentis carte confirmacione dederunt michi predicti magistri Thomas de Heworthe & Thomas de Pontefracto pre manibus decem marcas sterlingorum; et ut [&c. sealing], hiis testibus, Thoma de Sowy tunc maiore Oxonie, Iohanne de Dokelingtone & Iohanne de Beuerle tunc balliuis uille eiusdem, Iohanne de Ew, Philippo de Ew, Iohanne de Coleshulle, Iohanne de Dodeforde, Petro de Haneberge, Roberto de Welles, Thoma Bost, Ricardo Ouerhe & aliis. Dat' Oxonie die sanctorum Tiburtii & Valeriani anno regni regis Edwardi filii regis Henrici tricesimo primo.

Endorsed. Feofamentum Iohannis Fedeplace de duabus placeis iuxta portam nostram (in a hand c. 1320).

16.

[Gilbert de Pontefract and Thomas de Humbletone grant the two plots to Balliol.]

Sciant presentes & futuri quos nos Gilbertus de Pontefracto et Thomas de Humbletone dedimus et concessimus et hac presenti carta nostra confirmauimus magistro domus scolarium de Balliolo et scolaribus eiusdem duas placeas terre quas habuimus ex concessione, donacione, tradicione Iohannis le Feteplace burgensis Oxonie pro quadam summa pecunie sibi soluta pre manibus, que quidem placee iacent in suburbio Oxonie in uico qui uocatur Horsmongerstrete inter terram Iohannis le Sclatter ex parte occidentali & terram monachorum Dunelm' ex parte orientali et continent in se centum & quater uiginti pedes in longitudine & quinquaginta pedes in latitudine,[1] ad elargacionem mansi predictorum magistri & scolarium iuxta

D. 5. 2
July 8, 1310

[1] Inq. ad quod damnum (no. 77. 22 Record Office), says that the pieces of land were 30 feet and 20 feet wide respectively, and 180 feet long; while no. 15 shows that they were not adjacent pieces, as this deed would imply.

formam, uim & effectum carte domini regis nobis et eis in hac parte licenciam specialem tribuentis, statuto de terris et tenementis ad manum mortuam non ponendis edito non obstante; habendas & tenendas dictas placeas terre cum pertinenciis predictis magistro & scolaribus et eorum successoribus magistro et scolaribus eiusdem domus de nobis & heredibus nostris in perpetuum, reddendo inde annuatim capitalibus dominis feodi illius seruicia inde debita & consueta. Et nos Gilbertus & Thomas predictas placeas cum pertinenciis prefatis magistro et scolaribus & eorum successoribus magistro & scolaribus eiusdem domus quietum clamauimus in perpetuum. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne de Duklyntone tunc maiore Oxonie, Ricardo de Berkele et Willelmo le Catour tunc balliuis eiusdem, Andrea de Pirye, Ricardo le Spicer, Thoma de Sowy, Henrico de Lenne, Ricardo de Waledene, Thoma de Pirye tunc clerico uille et multis aliis. Scriptum & consignatum Oxonie sexto Idus Iulii anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi quarto.

Endorsed. Carta de duabus placeis extra portam nostram (hand c. 1320).

17.

[John de Eynesham grants to Henry de Berewyke a rent of two shillings on houses in Horsemonger Street.]

D. 5. 3
Dec. 2, 1289

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes de Eynesham dedi, concessi & hoc presenti carta mea confirmaui magistro Henrico de Berewyke duos solidos annui & quieti redditus percipiendos de domibus nostris in Horsmongerestrete in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie, que etiam domus site sunt inter tenementa que quondam fuerunt Walteri Feteplace ex utraque parte; habendos tenendos & percipiendos de predictis domibus prenominato magistro Henrico & heredibus suis uel suis assignatis ad duos anni terminos uidelicet ad festum Omnium Sanctorum duodecim denarios & ad festum Purificacionis beate Marie uirginis duodecim denarios libere, quiete, bene, in pace & iure hereditario inperpetuum. Et ego prenominatus Iohannes [&c. warranty]. Pro hac autem donacione [&c.] dedit michi predictus magister Henricus sexdecim solidos sterlingorum pre manibus in gersummam. In cuius [&c. sealing]. Dat' Oxonie die Ueneris proxima post festum beati Andree apostoli anno regni regis Edwardi octauodecimo. Hiis testibus, Nicholao Aurifabro tunc maiore

Oxonie, Thoma de Sowy & Ricardo le Spicer tunc balliuis eiusdem uille, Henrico Ewayn, Iohanne Culuert, Philippo de Ew, Iohanne de Ew, Waltero Bost, Roberto de Brackele, Iohanne de Radford & aliis.[1]

3. Land lying to the North of the Earliest Tenements of the College. 18, 19.

The land acquired from John le Sauser in 1291 was the eastern portion of a tenement which stretched from St. Giles's Street to Durham College. There can be little doubt that it may be identified with the land which before the Hundred Rolls of 1279 was held by Henry le Sauser, paying a quitrent to Oseney. From Oseney deeds we know that in 1291 the tenement of Oseney was bounded on its north side by a holding of Walter Bost, which is also the case in deed no. 18. The western half of the tenement of John le Sauser was acquired by Balliol in 1373; see tenement no. 13 below.

18.

[John le Sauser grants to Walter de Foderingeye a part of his land.]

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes le Sawser, filius & heres Galfridi le Sawser burgensis Oxonie, dedi, concessi et hac presenti carta mea confirmaui magistris Waltero de Foderingeye et Willelmo de Bonkis clericis quandam partem aree mee quam habui in parochia beate Marie Magdalene in suburbio Oxonie ex parte orientali dicte ecclesie, iacentem inter terram scolarium de Balliolo ex parte una et terram Walteri Bost ex altera; et extendit se dicta pars aree in longitudine usque terram monachorum Dunelm' versus orientem secundum latitudinem terre scolarium de Balliolo predictorum; tenendam & habendam dictam partem aree cum omnibus suis pertinenciis de me & heredibus meis & assignatis predictis magistris Waltero de Foderingeye et Willelmo de Bonkes vel eorum alteri qui diucius vixerit et eorum heredibus vel assignatis quibuscumque uel cuicumque, quandocumque & qualitercumque dicti magistri Walterus et Willelmus uel eorum alter voluerint uel voluerit dare, uendere, legare vel assignare in puram et perpetuam elemosinam uel aliter prout eis vel eorum alteri melius placuerit, tam in egritudine quam in sanitate libere, **D. 5. 18 Mich. 1291–Mich. 1292**

[1] Seal, pointed oval, $\frac{7}{8}$ in. × $\frac{1}{2}$ in., a bird, S' IOH'IS DE EYNESHA'. It is curious that there is no deed by which these houses or even this rent were granted to Balliol, nor any licence for their acquisition.

quiete, integre, bene & in pace hereditarie in perpetuum; reddendo inde annuatim michi et heredibus meis vel assignatis unum clauum gariophili ad Natale domini et domino feodi unnam (*sic*) radicem zinziberi ad festum antedictum pro omnibus seruiciis, consuetudinibus, sectis curiarum, secularibus exaccionibus et demandis. Et ego [&c. warranty]. Pro hac autem donacione [&c.] dederunt michi dicti magistri Walterus & Willelmus octo marcas sterlingorum pre manibus. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Henrico Oweyn tunc maiore Oxonie, Willelmo de Wodestone, Andrea Kiluert tunc balliuo dicte uille, Philippo de Ew, Iohanne de Ew, Thoma de Sowy, Radulfo le Plummer, Iohanne de Coleshille, Waltero Bost, Roberto de Welles, Roberto de Brakele, Henrico filio Milonis et aliis.[1]

19.

[Walter Bost grants to Walter de Foderingeye and William Bonkes a strip of land to the north of the holding acquired from John le Sauser.]

B. 1. 91 [c. 1300] Pateat uniuersis per presentes quod ego Walterus dictus Bost[2] Oxonie pro me & heredibus meis dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui magistris Waltero de Foderingeye & Willelmo Bonkes uel eorum alteri qui diucius uixerit & eorum heredibus & assignatis quibuscumque terram in qua murus erigitur, latitudinem eiusdem muri continentem, iacentem ex parte boriali illius aree quam dicti magistri W. & W. habent de dono Iohannis le Sauser secundum longitudinem illius aree extendentem usque tenementum monachorum Dunulm' [*sic*]; tenendam & habendam dictam terram de me & heredibus meis uel assignatis libere, quiete, in feodo & hereditate bene & in pace, quibuscumque dare, uendere, legare, uel quolibet modo uoluerit assignare in perpetuum, reddendo inde annuatim scolaribus de Balliolo unum clauum gariophili ad Natale domini pro omni seculari seruicio, consuetudine, sectis curie, exaccione & demanda. Pro hac autem donacione & presentis carte confirmacione dederunt michi dicti

exitibus duos solidos; & duo mesuagia, unum uidelicet quod fuit Willelmi Saunzdelay & aliud quod fuit Dionisie Borewald, que quidem mesuagia[1] idem Willelmus habuit ex dono magistri & fratrum hospitalis predicti & tenentur in capite de priore & conuentu sancte Frideswyde per seruicium triginta & duorum denariorum per annum & ualent per annum in omnibus exitibus tres solidos. Item dicunt quod predictus magister Willelmus obiit seysitus de quatuor mesuagiis cum pertinenciis in parochia sancti Aldati Oxonie in alto vico, uidelicet de uno mesuagio quod idem magister Willelmus habuit de dono magistri & fratrum hospitalis predicti & est situm inter tenementum prioris & conuentus sancte Frideswide & scolam que fuit Iudeorum & tenetur in capite de Iohanne filio Walteri le Orfeuere de Oxonia per seruicium xv denariorum per annum, & de uno mesuagio cum pertinenciis quod fuit scola Iudeorum & post exilium Iudeorum idem magister Willelmus habuit ex dono domini regis quod quidem mesuagium Iudei tenebant in capite de predicto Iohanne filio Walteri per seruicium xv denariorum per annum & de priore & conuentu sancte Frideswyde per seruicium quatuor denariorum per annum, & de uno mesuagio cum pertinenciis quod idem magister Willelmus habuit de dono Ricardi de Mortone & situatur inter predictam scolam Iudeorum & tenementum quod fuit Argalicie que fuit uxor Uiues de Gloucestria Iudei quod quidem mesuagium ipsa [*sic*] tenuit in capite de predicto Iohanne filio Walteri per seruicium xv denariorum per annum, & de uno mesuagio cum pertinenciis quod fuit predicte Argalicie Iudee & quod idem magister Willelmus habuit de dono domini regis post exilium Iudeorum & iacet predictum mesuagium inter tenementum quod fuit Ricardi de Mortone & tenementum quod fuit Nicholai de Coleshulle & quod eadem Argalicia tenuit in capite de predicto Iohanne filio Walteri per seruicium xv denariorum per annum, & super predicta quatuor mesuagia edificata sunt nouem schope & quatuor celaria & ualent per annum in omnibus exitibus sex marcas. Dicunt eciam quod idem magister Willelmus obiit seysitus de uno mesuagio cum pertinenciis quod habuit de dono Roberti de Driffeld in parochia sancti Edwardi Oxonie & quod tenuit in capite de magistro & fratribus hospitalis sancti Iohannis predicti per seruicium xii denariorum[2] per annum &

[1] The statement that William Burnel obtained these two messuages from the Hospital of St. John may be doubted. In 1291 (see no. 179) it is implied that they did not belong to the Hospital, and if the Hospital acquired them after that date we should find an inquisition *ad quod damnum* about them. In any case they were not important messuages, being valued at 5*s.* 8*d.* per annum.

[2] This inquisition and the earlier inquisition quoted on page 91 say xiid. whereas it should be xiiid. (see p. 103).

ualet in omnibus exitibus quatuor solidos; & de una placia terre latitudinis quater uiginti pedum & longitudinis quinquies uiginti pedum quam[1] idem magister Willelmus habuit de dono Ricardi de Mortone & iacet inter tenementum predicti Roberti de Driffeld & tenementum Hugonis Cary & tenetur in capite de Willelmo Aurifabro per seruicium septem solidorum & sex denariorum per annum & ualet per annum in omnibus exitibus unam marcam. Dicunt eciam predicti iurati quod Edwardus Burnel filius domini Philippi Burnel est propinquior heres predicti Willelmi Burnel & est plene etatis secundum consuetudinem uille Oxonie. In cuius rei, &c.[2]

189.

[Edward Burnel surrenders all the tenements of William Burnel in Oxford to his executors.]

B. II. 16
Nov. 26
1313

Uniuersis sancte matris ecclesie filiis ad quos presentes littere peruenerint Edwardus Burnel miles salutem in domino sempiternam. Nouerit uniuersitas uestra quod cum magister Willelmus Burnel omnes terras & tenementa sua infra uillam Oxonie in testamento suo in ultima uoluntate sua iuxta consuetudinem uille supradicte magistro & scolaribus domus de Balliolo Oxonie legasset, eisdem magistro & scolaribus & eorum successoribus scolaribus ibidem in perpetuum possidenda, egoque predictus Edwardus licet possessionem seu seisinam terrarum & tenementorum predictorum tanquam propinquior heres predicti magistri Willelmi nactus fui & adeptus, aduertens tamen non solum anime fore periculosum uerum etiam dampnosum tenementa taliter legata contra uoluntatem testatoris occupare seu etiam detinere, omnes terras & tenementa predicta cum pertinenciis suis dominis Hugoni de Scales militi & Iohanni de Borham clerico executoribus testamenti predicti magistri Willelmi resignaui, tradidi, & totaliter restitui ad executionem testamenti illius iuxta uoluntatem testatoris predicti inde perficiendam, cuicumque iuri seu accioni que michi seu heredibus meis aut alicui alteri nomine nostro ad terras seu tenementa predicta aut aliquam partem eorumdem calumpniandas seu petendas futuris temporibus quoquomodo competere poterunt renuntians per presentes. In cuius rei testimonium sigillum meum presentibus apposui; hiis testibus, dominis Rogero de Mortuo Mari de Wygemor,

[1] que, MS.
[2] A contemporary transcript, not the original return, having no seals.

Theobaldo de Uerdone, Galfrido de Welleforde, Rogero de Suttone, & Adam de Brom clericis de Cancellaria domini regis & aliis multis. Dat' apud Westmonasterium die Lune in crastino sancte Katerine uirginis & martiris, anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi septimo.

B. II. 17 A duplicate of B. II. 16.

190.

[Edward Burnel appoints attorneys to give seisin to the executors.]

A. 13. 7
Nov. 26, 1313

Vniuersis Cristi fidelibus ad quos presentes littere peruenerint Edwardus Burnel miles salutem in domino sempiternam. Nouerit uniuersitas uestra me attornasse & loco meo posuisse reuerendum uirum magistrum Henricum de Harkla sacre pagine professorem Cancellarium Uniuersitatis Oxonie ac Willelmum Pennard burgensem eiusdem ville diuisim & coniunctim ad liberandum nomine meo seisinam omnium terrarum & tenementorum cum pertinenciis suis que magister Willelmus Burnel infra villam Oxonie quondam tenuit in manu mea existencium dominis Hugoni de Scales militi & Iohanni de Borham clerico executoribus testamenti predicti magistri Willelmi uel eorum attornato eorum nomine, habendum [*sic*] iuxta tenorem carte mee eis inde confecte, ratum habens & gratum quicquid dicti attornati mei uel eorum alter nomine meo fecerint uel fecerit in premissis. In cuius rei testimonium sigillum meum presentibus est appensum. Dat' apud Westmonasterium die Lune in crastino sancte Katerine anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi septimo.[1]

191.

[Two of the executors appoint an attorney to receive seisin.]

B. II. 15
Nov. 26, 1313

Uniuersis Cristi fidelibus ad quos presentes littere peruenerint Hugo de Scales miles & Iohannes de Borham clericus executores testamenti recolende memorie magistri Willelmi Burnel salutem in domino sempiternam. Nouerit uniuersitas uestra nos attornasse & loco nostro

[1] Seal, green, circular, 1⅛ in., a lion rampant on a shield, SIGILLVM EDWARDI BVRNEL.

posuisse magistrum Willelmum de Gotham ad recipiendum nomine nostro de nobili uiro domino Edwardo Burnel milite uel eius attornatis seu attornato seisinam omnium terrarum & tenementorum cum pertinenciis suis que quondam fuerunt magistri Willelmi Burnel infra uillam Oxonie iuxta tenorem carte predicti domini Edwardi nobis inde facte, ratum habentes & gratum quicquid idem magister Willelmus attornatus noster nomine nostro fecerit in premissis. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus apposuimus. Dat' apud Westmonasterium in crastino sancte Katerine, anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi septimo.

192.

[The executors of William Burnel grant his tenements in Oxford to the House of Balliol.]

A. 13. 8 c. Dec. 1313

Uniuersis sancte matris ecclesie filiis ad quos presentes littere peruenerint Hugo de Scales, Galfridus de Heghham, & Iohannes de Borham executores testamenti magistri Burnel quondam prepositi Wellensis salutem in domino sempiternam. Nouerit uniuersitas uestra nos ad execucionem testamenti predicti magistri Willelmi faciendam dedisse, concessisse, assignasse & hac carta nostra confirmasse magistro domus scolarium de Balliolo Oxonie & scolaribus eiusdem domus omnes terras & tenementa cum pertinenciis que fuerunt predicti magistri Willelmi infra villam Oxonie; habenda & tenenda eisdem magistro & scolaribus & successoribus suis magistris & scolaribus eiusdem domus de domino rege & heredibus suis & aliis capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & consueta in liberam, puram & perpetuam elemosinam ad augmentacionem numeri scolarium domus eiusdem & sustentacionis eorumdem imperpetuum, reddendo inde annuatim domino regi & aliis capitalibus dominis seruicia inde debita & consueta. In cuius rei testimonium sigilla nostra huic scripto apposuimus. Hiis testibus, dominis Adam de Osgodbi, Roberto de Bardelbi, Willelmo de Ayremynne, Galfrido de Welleford, Rogero de Suttone, Adam de Brom clericis de Cancellaria domini regis, magistro Henrico de Harcla Cancellario Uniuersitatis Oxonie, Willelmo de Burncestre maiore ville Oxonie, Andrea de Pirye, Iohanne de Colleshulle, Iohanne de Dokelyntone & multis aliis.[1]

[1] With three small seals; the centre seal is the figure of St. Margaret, 'SCA. MARGARETA ORA PRO ME.' Henry de Harcla was Chancellor of the University Dec. 11, 1312 to Sept. 1317; William de Burncestre was mayor Michaelmas 1312 to Michaelmas 1315, but not for the next two years.

193.

[A fuller form of the same grant.]

B. II. 22
c. Dec.
1313

Omnibus sancte matris ecclesie filiis ad quos presentes littere peruenerint Hugo de Scales miles & Iohannes de Borham clericus, executores testamenti magistri Willelmi Burnel salutem in domino sempiternam. Nouerit uniuersitas uestra nos ad executionem testamenti predicti magistri Willelmi iuxta ultimam ipsius uoluntatem dedisse, concessisse, & hac carta nostra confirmasse magistro & scolaribus domus de Balliolo Oxonie omnes terras & tenementa que fuerunt predicti magistri Willelmi infra uillam Oxonie cum omnibus suis pertinenciis; habenda & tenenda eisdem magistro & scolaribus & successoribus suis in liberam, puram & perpetuam elemosinam; ita quod iidem magister & scolares & eorum successores pro animabus celebris memorie Roberti Burnel quondam Bathoniensis & Wellensis episcopi, Philippi Burnel necnon & predicti magistri Willelmi, ac etiam pro salubri statu domini Edwardi Burnel dum uiuit & etiam pro anima sua post ipsius obitum & animabus antecessorum & successorum suorum & omnium fidelium defunctorum exorare & deum specialiter interpellere, ac etiam numerum scolarium iuxta quantitatem ualoris terrarum & tenementorum predictorum augmentare & imperpetuum sustinere teneantur; et si contingat dictos magistrum et scolares aut eorum successores in aliquo premissorum, quod absit, deficere, tunc predictus Edwardus & heredes sui dictos magistrum & scolares & eorum successores in terris & tenementis predictis quousque premissa omnia & singula plenarie perfecerint distringendi & compellendi plenariam habeant potestatem. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, dominis Rogero de Mortuo Mari de Wygemor, Theobaldo de Uerdone, Ricardo de Harle militibus, Adam de Osgodby, Roberto de Bardelby, Willelmo de Ayrimynne, Adam de Brom clericis de Cancellaria domini regis, magistro Henrico de Harcla Cancellario Uniuersitatis Oxonie, Willelmo de Burnecestria maiore uille Oxonie, Andrea de Pirye, Iohanne de Colleshulle, Iohanne de Dukelyntone, Ricardo Oueree, Willelmo Pennard burgensibus uille Oxonie & multis aliis.

194.

[Two of the executors appoint an attorney to give seisin to Balliol.]

Universis [&c.] Hugo de Scales miles & Iohannes de Borham clericus executores [&c. as in no. 195 *mutatis mutandis*]. Dat' apud Westmonasterium die Ueneris in crastino sancti Nicholai anno regni domini Edwardi filii regis Edwardi septimo. B. II. 24 Dec. 7, 1313

195.

[The third executor appoints the same attorney.]

Universis [&c.] Galfridus de Heghham unus executorum testamenti magistri Willelmi Burnel quondam prepositi Wellensis salutem in domino sempiternam. Nouerit uniuersitas vestra me attornasse & loco meo posuisse magistrum Willelmum de Gotham ad liberandum seisinam omnium terrarum & tenementorum que quondam fuerunt predicti magistri Willelmi infra villam Oxonie magistro & scolaribus domus de Balliolo Oxonie; habenda & tenenda eisdem magistro & scolaribus & successoribus suis imperpetuum iuxta tenorem carte per me & coexecutores meos testamenti predicti eis inde facte, ratum habiturus & gratum quicquid dictus magister W. faciendum duxerit in premissis. In cuius [&c. sealing]. Dat' Londonie die dominica in festo Epiphanie domini anno regni domini Edwardi filii regis Edwardi septimo. B. II. 23 Jan. 6, 1314

196.

[Edward Burnel acknowledges the receipt of £70 from Adam de Brome and others.]

A touz ceux qe ceste lettre verrunt ou orrunt Edward Burnel chiualer salutz en dieu. Sachez nous auer receu de sire Hughe de Escales chiualer, de sire Iohan de Borham persone del eglise de Leeghe, de mestre Willeme de Gotham persone del eglise de Hethere, e de sire Adam de Brome persone del eglise de Handesworthe, seissaunte e diz liures, des queux il nous unt fet reconissaunce en la court nostre seignour le Rey a payer les trente e cynk' liures a la feste de la Natiuite nostre seignour lan du regne le Rey Edward filz le Rey B. II. 13 and 14 Feb. 6. 1314

Edward septisme e a la feste de la Purificacion nostre dame prochein suaunt trente e cynk' liures, des queux sessaunte e diz liures nous nous tenoms pleynement estre paye e les auauntditz, sire Hughe, sire Iohan, mestre Willeme & sire Adam estre quites. En temoignaunce de queu chose a ceste lettre patente auom mis nostre seal. Done a Thirninge en le conte de Norfok' le Meskredi prochein apres la dite feste de la Purificacioun notre dame lan auant dit.[1]

197.

[Edward Burnel quitclaims the tenements to Balliol.]

B. II. 18 [April 28, 1314]

Omnibus hoc scriptum uisuris uel audituris Edwardus Burnell miles salutem in domino sempiternam. Noueritis me concessisse, remisisse, relaxasse & omnino de me & heredibus meis imperpetuum quietum clamasse magistro & scolaribus domus de Balliolo Oxonie & eorum successoribus magistris & scolaribus domus predicte totum ius & clamium que unquam habui aut aliquo modo habere potui seu potero in omnibus illis terris & tenementis, que quondam fuerunt magistri Willelmi Burnell prepositi Wellensis, cum omnibus suis pertinenciis infra uillam Oxonie; ita quod nec ego nec aliquis heredum meorum nec aliquis nomine nostro ius vel clamium in predictis terris & tenementis seu aliqua parte eorundem decetero exigere poterimus quoquomodo seu uendicare. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, dominis Adam de Osgoteby, Roberto de Bardelby, Willelmo de Ayremynne, Roberto de Askeby, Galfrido de Welleforde, Rogero de Suttone & Iohanne de Borham clericis de Cancellaria domini Regis, Willelmo de Herle & Iohanne de Bromfeld & aliis.

198.

[Another form of the quitclaim.]

B. II. 19 Ap. 28, 1314

A duplicate of B. II. 18, but contains also a clause of warranty and the date 'Londonie; die dominica proxima post festum sancti Marci Ewangeliste anno regni domini Edwardi filii regis Edwardi septimo.'

B. II. 20

A duplicate of no. 198, without date, but with the witnesses of no. 189 which is of Nov. 26, 1313.

[1] With the seal of Edward Burnel.

199.

[The executors of William Burnel quitclaim the tenements to Balliol.]

Omnibus [&c.], Hugo de Scales miles, Galfridus de Hegham & Iohannes de Borham clericus executores testamenti magistri Willelmi Burnel quondam prepositi Wellensis salutem in domino sempiternam. Noueritis nos concessisse, relaxasse, & omnino de nobis & heredibus nostris ac executoribus nostris imperpetuum quietum clamasse magistro & scolaribus domus de Balliolo Oxonie & eorum successoribus magistris & scolaribus domus predicte totum ius & clamium que unquam habuimus seu aliquo modo habere poterimus in omnibus illis terris & tenementis que quondam fuerunt predicti magistri Willelmi infra uillam Oxonie cum omnibus suis pertinenciis; ita quod nec nos [&c]. In cuius [&c. sealing]; hiis testibus, dominis Adam de Osgotby, Roberto de Bardelby, Willelmo de Ayremynne, Roberto de Askeby, Galfrido de Welleford & Rogero de Sutton clericis de Cancellaria domini Regis, Thoma Peuerel, Henrico de Hexstone & Philippo de la Le & aliis. Dat' Londonie die Martis proxima ante festum Ascencionis domini anno regni domini Edwardi filii regis Edwardi septimo. B. 11. May 1314

200.

[An inspeximus by Edward II of various charters.]

Edwardus dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie & dux Aquitannie omnibus ad quos presentes littere peruenerint, salutem. Inspeximus litteras patentes quas dominus E. quondam rex Anglie pater noster fecit Hugoni de Scales, Galfrido de Heghham & Iohanni de Borham executoribus testamenti magistri Willelmi Burnel quondam prepositi Wellensis de quibusdam tenementis in Oxonia magistro domus scolarium de Balliolo Oxonie & eisdem scolaribus dandis & assignandis in hec uerba :—'Edwardus [&c. no. 186 . . .] tricesimo tercio.' Inspeximus eciam cartam quam iidem executores fecerunt eisdem magistro & scolaribus in hec verba :—'Uniuersis [&c. no. 192 . . .] Iohanne de Dukelintone & multis aliis.' Inspeximus eciam scriptum quiete clamancie quod iidem executores fecerunt eisdem magistro & scolaribus in hec uerba :—'Omnibus [&c. no. 199 . . .] septimo.' Inspeximus eciam scriptum quiete clamancie quod Edwardus Burnel miles fecit eisdem B. 9. June 1314

magistro & scolaribus in hec verba:—'Omnibus [&c. No. 198 . . .] septimo.' Nos autem licenciam, donacionem, assignationes, concessiones, confirmacionem, relaxaciones & quietas clamancias predictas ratas habentes & gratas eas pro nobis & heredibus nostris quantum in nobis est prefatis magistro & scolaribus & eorum successoribus imperpetuum concedimus & confirmamus prout littere, carta & scripta predicta rationabiliter testantur. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Berewycum super Twedam quartodecimo die Iunii anno regni nostri septimo.[1]

Per archiepiscopum & consilium.

Exam' per Adam de Brom.

201.

[Queen Margaret confirms the grant of the executors.]

B. 9. 13
Aug. 27, 1314

Uniuersis sancte matris ecclesie filiis ad quos presentes littere peruenerint Margareta dei gracia regina Anglie salutem in domino sempiternam. Nouerit uniuersitas uestra quod nos habentes respectum ad profectum & commodum que ex studio scolarium aule de Balliolo in Oxonia hactenus prouenerint & auxiliante deo in posterum sunt uberius prouentura pro salute anime illustrissimi domini nostri domini regis Edwardi dudum consortis nostri & pro salute nostra, inspectis cartis appropriacionis & confirmacionis regis predicti ac illustris domini & filii nostri regis Edwardi filii regis predicti super tenementis omnibus que quondam fuerunt magistri Willelmi Burnel in Oxonia magistro & scolaribus predicte aule concessis & appropriatis, eisdem cartis & appropriacioni[2] quantum in nobis est nostrum consensum adhibuimus, & quicquid iuris in dictis tenementis habuimus seu habere poterimus, saluo nobis redditu consueto & antiquo de tenementis eisdem, dictis magistro & scolaribus concessimus per presentes. In cuius rei testimonium has litteras nostras patentes sibi fieri fecimus sigillo nostro signatas. Dat' apud Feckenham vicesimo septimo die Augusti anno regni domini & filii nostri karissimi domini regis Edwardi filii regis Edwardi octauo.[3]

[1] With the great seal; a good specimen.

[2] Appropriacione, MS.

[3] With seal: see Plate. On the reverse MARGARETA DEI GRA DNA HIBERNIE DVCISSA AQVITANNIE. On the obverse MARGARETA DEI GRATIA REGINA ANGLIE.

Seal of Queen Margaret

Face page 116]

202.

[Balliol grants to John de Aylesbury a lease of a messuage where once was the Synagogue.]

Sciant presentes & futuri quod nos Stephanus de Cornubia magister domus scolarium de Balliolo Oxonie & scolares eiusdem domus unanimi assensu & consensu nostro concessimus & hoc presenti scripto indentato pro nobis & successoribus nostris ad firmam dimisimus Iohanni de Aylesbury dicto le Tauerner de Oxonia & Agneti vxori eius quamdiu vixerint vel alteri eorum diucius viuenti totum illud mesuagium nostrum ubi quondam erat synagoga Iudeorum in parochia sancti Aldati Oxonie; quod quidem mesuagium situatur inter principale mesuagium nostrum ubi quondam morabatur magister Willelmus Burnel ex parte orientali & alia tenementa nostra versus viam regiam ex parte occidentali una cum libero introitu & exitu ad predictum mesuagium per medium magne porte que sita est inter tenementa predicta, cum solario supra eandem portam; et sciendum est quod in dicto mesuagio situantur tot domus, videlicet una aula cum celario & solario eiusdem longitudinis ex parte australi cum uno solario & celario ex parte boriali & una pistrina; habendum & tenendum totum predictum mesuagium cum dicto introitu & omnibus aliis domibus predictis in dicto mesuagio sitis prefatis Iohanni & Agneti ad totam vitam utriusque eorum de nobis & successoribus nostris libere, bene & in pace, reddendo inde annuatim nobis & successoribus nostris quadraginta sex solidos & octo denarios sterlingorum bone & legalis monete in tota vita dictorum Iohannis & Agnetis & eorum alterius diucius viuentis ad quatuor anni terminos, videlicet ad festum sancti Thome apostoli undecim solidos & octo denarios [& Mar. 25, June 24 & Sept. 29] pro omni seruicio seculari & demanda. Et predicti Iohannes & Agnes & eorum alter diucius viuens totum predictum mesuagium una cum dicto introitu & omnibus aliis domibus prenominatis in dicto mesuagio sitis in adeo bono statu vel meliori reparabunt, sustentabunt, & in omnibus emendabunt sicut fuerunt die conuencionis inite. Et si contingat predictos Iohannem & Agnetem vel eorum alterum dictas domos vel aliquam illarum non reparare, sustentare nec sufficienter ut predictum est emendare & hoc per visum & testimonium bonorum & fidedignorum ex utraque parte ad hoc electorum verificari poterit, tunc bene liceat dictum magistrum & scolares predictum mesuagium intrare & de illo in omnibus ordinare prout melius viderint expedire, ita quod

B. 9. 3 Feb. 2 1307

nec predicti Iohannes & Agnes nec eorum alter dictos magistrum & scolares quoquo modo impediant vel in aliquo eis contradicant nec extunc racione istius conuentionis aut dimissionis in dicto mesuagio aliquid vendicabunt. Et nos predicti magister & scolares totum predictum mesuagium cum suis pertinentiis prenominatis prefatis Iohanni & Agneti ad totam vitam utriusque eorum contra omnes mortales warantizabimus & acquietabimus pro redditu supradicto, si non contingat nos infra predictum terminum eorum iure, potestate, seu quoquo alio modo mesuagium illud perdere. Quod si contingat, quod absit, dicti Iohannes & Agnes nec aliquis nomine eorum occasione predicte dimissionis vel warantie predictos magistrum & scolares nec eorum successores in nullo grauabunt seu quoquomodo occasionabuntur. Et ad istam conuentionem fideliter in omnibus obseruandam nos predicti Iohannes & Agnes fideiussores inuenimus videlicet Petrum filium Iohannis de Oxonia & Iohannem Feteplace de eadem, qui sigilla sua una cum sigillis nostris parti huius scripti indentati penes magistrum & scolares residenti apposuerunt, et relique parti eiusdem scripti penes dictos Iohannem & Agnetem residenti sigillum commune predictorum magistri & scolarium domus predicte est appensum. Hiis testibus, Iohanne de Dokelintone tunc maiore Oxonie, Waltero de Wycumbe & Willelmo de Pennarthe tunc balliuis eiusdem ville, Thoma de Henxeye, Andrea de Pyrie, Iohanne de Coleshulle, Philippo de Wormenhale, Radulfo de Stoke, Andrea Culuerd, Iohanne le Orfeuere, Ricardo de Mortone, Thoma de Mortone, Thoma Clerico & multis aliis. Dat' apud Oxoniam in festo Purificationis beate Marie virginis anno regni regis Edwardi filii regis Henrici xxxv^to^.[1]

203.

[John de Aylesbury and his wife return the messuage to Balliol for seven months.]

B. 9. 1
Feb. 5, 1307

Pateat universis per presentes quod ego Iohannes de Aylesburi & Agnes uxor mea dimisimus & uterque nostrum dimisit magistro Stephano de Cornubia magistro domus de Balliolo & scolaribus eiusdem domus unum mesuagium in Oxonia quod dicitur synagoga in parochia sancti Aldati cum introitu apud magnam portam & solario supra dictam portam inter noua tenementa que quondam erant magistri Willelmi Burnel; tenendum & habendum dictum mesuagium

[1] With the same four seals as on no. 204.

cum omnibus prenominatis pertinenciis dicto magistro & scolaribus & eorum successoribus a die Purificacionis beate Marie uirginis anno regni regis Edwardi filii regis Henrici xxxv^ti^ usque ad festum sancti Michaelis proximo sequens libere & in pace; ita quod nec ego dictus Iohannes de Aylesburi nec Agnes uxor mea a die supradicto usque in festum prenominatum in dicto mesuagio seu in aliquo dicto mesuagio pertinenti aliquid iuris vendicabimus nec aliquis nomine nostro vendicabit. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne de Dokelintone tunc maiore Oxonie, Waltero de Wycumbe & Willelmo de Pennarth tunc balliuis eiusdem ville, Iohanne de Coleshulle, Philippo de Wormenhale, Ricardo de Mortone, Thoma de Mortone et multis aliis. Dat' Oxonie die dominico post festum Purificationis beate Marie anno supradicto.[1]

204.

[An agreement between Balliol and John de Aylesbury.]

B. 9. 2
Feb. 5, 1307

Pateat uniuersis per presentes litteras indentatas quod ego Iohannes de Aylesbury dictus le Tauerner & Agnes uxor mea obligamus nos coniunctim & diuisim & utrumque nostrum in solidum magistro & scolaribus domus de Balliolo in Oxonia in quadraginta solidis sterlingorum bone & legalis monete soluendis eisdem magistro & scolaribus vel alicui nomine ipsorum has litteras deferenti quandocumque dicti magister & scolares fieri facient quandam cameram ex competenti meremio bonam & honestam cum solario & celario infra terminum nostrum in quodam mesuagio quod dicitur synagoga quod ab eisdem magistro & scolaribus ad terminum vite nostre accepimus, reddendo inde annuatim quoddam certum prout in quodam scripto inter nos confecto plenius continetur. Item volumus & concedimus pro nobis & utroque nostrum quod si dicti magister & scolares novam cameram infra terminum nostrum faciant, libere habeant sine contradictione quorumcumque seu cuiuscumque meremium, lapides & omnia pertinencia cuiusdam camere antique in medio dicti mesuagii situate in subsidium dicte noue camere faciende. Et quia per principale scriptum inter nos confectum obligamur predictam cameram in medio mesuagii sitam in toto termino nostro sustentare, promittunt fideliter dicti magistri & scolares & per presentes se obligant quod si nouam cameram faciant & ad illius constructionem predictam antiquam

[1] Two seals on one tag; circular a quatrefoil S' IOH' D' . . . . .; pointed oval, a fleur de lis S' AGNET' . . OR' .I. TAB' (? VXOR' I. TAB').

cameram capiant, occasione dicte antique camere non sustentate in nullo nos nec alterum nostrum grauabunt seu quouismodo extunc occasionabuntur. Et sciendum quod nos dicti Iohannes & Agnes in toto termino nostro nouam cameram si quam dicti magister & scolares in dicto mesuagio fieri faciant reparabimus & in omnibus sustentabimus & uterque nostrum in toto termino suo sustentabit. Quod si non fecerimus, liceat magistrum & scolares totum predictum mesuagium ad manus suas capere & inde ordinare prout in principali scripto plenius inseritur. Ut hec autem conuentio firma sit & stabilis in forma predicta dictis magistro & scolaribus tales fideiussores inuenimus Petrum filium Iohannis de Oxonia & Iohannem Feteplace quorum uterque pro nobis & utroque nostrum principalem debitorem totalis dicte pecunie se constituit & per presentes in solidum obligat. In huius rei testimonium sigillum commune dictorum magistri & scolarium parti huius obligationis penes dictos Iohannem & Agnetem residenti est appensum & alteri parti penes magistrum & scolares residenti sigillum dictorum Iohannis & Agnetis una cum sigillis dictorum fideiussorum sunt appensa. Scriptum Oxonie die dominico prox. post Purificationem beate Marie anno regni regis Edwardi filii regis Henrici xxxv^to^.[1]

205.

[Balliol grants a lease of the same messuage to Thomas de Bedeford.]

B. 9. 14
June 21, 1333

Hec indentura testatur quod nos magister & scolares aule de Baliolo unanimi consensu et assensu concessimus et ad firmam tradidimus Thome de Bedeford le Uaterman & Agneti uxori sue & alteri eorum diucius uiuenti unum mesuagium situatum in parochia sancti Aldati in Oxonia; quod quidem mesuagium Iohannes de Norhamtone de nobis tenere consueuit; habendum & tenendum dictum mesuagium dictis Thome & Agneti & alteri eorum diucius uiuenti de nobis & successoribus nostris usque ad terminum uite sue libere, quiete, bene & in pace, reddendo inde annuatim nobis et successoribus nostris triginta septem solidos & sex denarios ad quatuor anni terminos pro omnimodis seruiciis & demandis viz. [10/- Dec. 21, Mar. 25, June 24,

[1] With four seals; the first, circular, a quatrefoil, S' IOH' D' AYL' BVR' TAB' N'.; the seal of Agnes as on no. 203, and two small illegible seals, one of them being lozenge shape, the other shaped like a shield; no doubt the seals of John Feteplace and Peter son of John.

7/6 Sept. 29]. Et nos [&c. warranty. The tenants will keep the messuage in repair]. Ad istud pactum fideliter obseruandum hos inueni fideiussores, scilicet Ricardum de Sotton et Thomam de Pokelyngton. Et quocienscumque dictus redditus annualis ad aliquem terminum statutum aretro fuerit non solutus, quod absit, concedimus nos duos solidos fabrice ecclesie beate Marie Magdalene absque omni excepcione nomine pene soluere indilate & pro maiori securitate habenda promittimus nos & alter nostrum singulis annis ante festum Natiuitatis sancti Iohannis Baptiste nouos fideiussores inuenire uel istos iterum renouare sub pena iuris nostri amissionis & tocius domus euacuacionis. In cuius rei testimonium hiis litteris indentatis sigilla nostra alternatim apposuimus, & quia sigillum dicti Thome pluribus est incognitum, sigillum decanatus Oxonie apponi procurauimus. Dat' Oxonie die Lune proxima ante festum Natiuitatis sancti Iohannis Baptiste anno regni regis Edwardi tercii a conquestu septimo.

206.

[Record of a verdict of the surveyors of nuisances about the same messuage.]

Curia Iohannis de Hartwelle maioris ville Oxonie tenta apud Oxoniam die Veneris proxima post festum sancti Andree apostoli anno regni regis Edwardi tercii post conquestum xli°. B. 9. 4 Dec. 3, 1367

Ad hanc curiam superuisores nocumentorum presentant quod quidam murus lapideus qui situatur inter tenementum magistri & sociorum aule de Balliolo, quod tenementum situatur in parochia sancti Aldati & uocatur le Bredeshat' & quondam vocabatur synagoga Iudeorum, ex parte australi & tenementum Edmundi de Lodelau in eadem parochia ex parte boriali & extendit se in longitudine a tenemento predictorum magistri & sociorum quod vocatur Burnelshin in parochia sancti Edwardi usque ad gabulam superioris shope predicte synagoge, qui quidem murus continet in longitudine lxxix pedes & dimidium & in latitudine i pedem & dimidium est murus integer predictorum magistri & sociorum suorum.

Copia istius scripti manet in rotulo primo eiusdem anni extra in dorso sub titulo curie tente die Veneris proxima post festum sancte Katerine virginis anno supradicto, & remanet rotulus in Gilda aula.

Endorsed. Littera testificans quod murus situatus inter Brochat'

quod quondam vocabatur synagoga Iudeorum & tenementum Edmundi Lodelau quod tenetur de abbate de Hosne[1] est integer magistri & sociorum aule de Balliolo.

207.

[Balliol grants to Henry de Witteney a lease of a tenement and a toft, adjoining Burnel's Inn.]

A. 13. 10 Mar. 2, 1376

Nouerint uniuersi quod inter magistrum & scolares aule de Balliolo extra portam borialem Oxonie ex parte una & Henricum de Witteneye sclattere de Oxonia ex parte altera conuentum est in hunc modum, uidelicet quod predicti magister & scolares sub forma & condicionibus subscriptis concesserunt, tradiderunt & dimiserunt prefato Henrico unum toftum & unum celarium cum solario supraedificato & suis pertinenciis situata in parochia sancti Edwardi Oxonie in quodam vico vocato le Iueryelane, unde predictum toftum situatur inter placeam Nicholai le Spicer ex parte orientali & placeam dicti magistri & scolarium coadiacentem gardino de Burnels In ex parte occidentali; predictum vero celarium cum solario situantur [*sic*] inter dictam placeam magistri & scolarium ex parte orientali & tenementum quondam Edmundi de Ludelowe ex parte occidentali; habendum & tenendum predictum toftum cum celario & solario supraedificato & suis pertinenciis prefato Henrico & heredibus suis ac suis assignatis a festo sancti Thome apostoli proximo futuro post datam confeccionis presencium usque ad finem termini tresdecim annorum tunc proximo sequencium & plenarie completorum de predictis magistro & scolaribus & eorum successoribus, reddendo inde annuatim eisdem magistro & scolaribus aut eorum successoribus pro tofto predicto unam rosam ad festum Natiuitatis sancti Iohannis Baptiste & pro selario & solario predictis tres solidos sterlingorum ad quatuor anni terminos principales & usuales in Oxonia equis porcionibus pro omnibus seruiciis & demandis. Et predictus Henricus, heredes uel assignati sui supra toftum predictum unam nouam domum competentem cum tegulis coopertam sumptibus suis propriis de nouo infra terminum predictum facient & edificabunt, ac illam domum sic edificatam necnon celarium cum solario supradict' durante toto termino supradicto competenter

[1] This is an error. Edmund Lodelow held under the prior of St. Frideswide, not the Abbot of Oseney.

sustentabunt, reparabunt & emendabunt. Et predicti magister [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing]. Dat' Oxonie secundo die Marcii, anno regni regis Edwardi tercii post conquestum Anglie quinquagesimo.

208.

[Balliol grants to Robert Gardener a lease of seven shops in Fish Street.]

Nouerint uniuersi quod inter magistrum & scolares aule de Balliolo extra portam borealem Oxonie ex parte una & Robertum Gardener de Oxonia & Emmam uxorem eius ex parte altera conuentum est in hunc modum, uidelicet quod predicti magister & scolares sub forma & condicionibus subscriptis concesserunt, tradiderunt & dimiserunt predictis Roberto & Emme septem shopas coniunctim situatas cum celariis & solariis dictis shopis adiacentibus in parochia sancti Aldati Oxonie uersus altum vicum inter tenementum quod fuit Edmundi Ludelowe ex parte boreali & tenementum quod iam inhabitat Henricus le Smyth ex parte australi; habendas & tenendas prefatis R. et E. a die date confeccionis presencium usque ad finem termini viginti quatuor annorum; reddendo inde annuatim predictis magistro & scolaribus & eorum successoribus quadraginta & nouem solidos ad quatuor anni terminos. Et predicti R. et E. infra primum annum dictorum viginti quatuor annorum omnia solaria predictarum shoparum competenter facient cooperiri et emendari expensis eorum propriis. [The tenants will keep the buildings in repair. If they both die within the term of twenty-four years, or if the rent is unpaid, the tenements are to revert to the Master and scholars.] In cuius [&c. alternate sealing]. Dat' apud Oxon', die Martis in festo sancti Michaelis Archangeli, anno regni regis Ricardi secundi post conquestum Anglie primo.[1]

B. 9. 15
Sept. 29, 1377

209.

[An agreement between Balliol and Richard Clifford bishop of London.]

Hec indentura facta inter uenerabilem in Cristo patrem & dominum, dominum Ricardum Clifford dei gracia episcopum Londoniensem ex parte una & magistrum Thomam Chace, magistrum collegii de Ballio

B. 11. 25
Jan. 31, 1416

[1] An early endorsement 'Pro quinque shopis in parochia sancti Aldati'.

in Uniuersitate Oxonie & socios eiusdem collegii ex altera parte testatur quod predicti magister & socii ex eorum communi consensu concesserunt & ad firmam dimiserunt predicto domino episcopo quoddam tenementum in uilla Oxonie uulgariter nuncupatum Burnelinne cum pertinenciis excepto uno tenemento cum octo shopis adiacentibus & suis pertinenciis in quo Iohannes Shawe modo inhabitat & duobus paruis mesuagiis situatis in Iurelane uille predicte, quod quidem tenementum situatur iuxta aulam uocatam Grekhalle ex parte occidentali prope cimiterium ecclesie sancte Frideswide Oxonie; habendum & tenendum prefato domino episcopo & assignatis suis a festo sancti Michaelis proximo futuro post datam presencium usque ad terminum decem annorum ex tunc proximo sequencium pro centum & quinque marcis predictis magistro & sociis per predictum dominum episcopum pre manibus solutis, que quidem summa pecunie se extendit ad plenariam & integram summam moderne firme tenementi predicti pro tempore dictorum decem annorum; quam quidem summam centum & quinque marcarum predicti magister & socii a dicto domino episcopo in plenam solucionem firme predicte pro dictis decem annis ad dicti collegii indigenciam releuandam attenta euidente utilitate dicti collegii ac urgente necessitate pre manibus receperunt. Uolunt insuper & concedunt dicti magister & socii pro se & successoribus suis quod quandocumque infra dictum terminum decem annorum dictus dominus episcopus dederit, concesserit & appropriari fecerit seu alie persone per ipsum nominande dederint,concesserint & appropriari fecerint in perpetuum magistro & sociis predictis & eorum successoribus ac collegio predicto aliquas terras seu tenementa ualoris decem librorum per annum ultra omnia onera & reprisas & sufficientem & securum statum in lege eis inde fecerit, ac dicti magister & socii pacificam possessionem aut seisinam inde assecuti fuerint, prefati magister & socii infra mensem extunc sequentem feoffabunt dictum dominum episcopum suas alias personas ad suam denominacionem in predicto tenemento vocato Burnelinne, habendum idem tenementum predicto domino episcopo aut personis predictis, heredibus & assignatis suis in perpetuum; prouiso quod tam licencia regia in hac parte habenda quam eciam omnia alia appropriacionem seu donacionem predictam concernencia impetrabuntur & fient custagiis & expensis dicti domini episcopi uel assignatorum suorum. Quod si contigerit in futurum predictum tenementum cum pert. recuperari uersus predictum dominum episcopum, heredes aut assignatos suos aut uersus predictas personas per ipsum in forma predicta nominandas, heredes aut assignatos suos, aut extra eorum

possessionem euinci, extunc bene licebit domino episcopo [&c. to take back the lands he had given to Balliol in exchange for Burnel Inn, & *vice versa*]. Et si predictus dominus episcopus dederit & appropriari fecerit sumptibus & custagiis suis propriis in forma predicta dictis magistro & sociis ac successoribus suis terras & tenementa annui ualoris predicti citra finem dictorum decem annorum, quod extunc dicti magister & socii & successores sui teneantur per presentes restituere & resoluere predicto domino episcopo aut executoribus suis ratam porcionem dictarum centum & quinque marcarum predicte annue firme dictis magistro & sociis pre manibus solute, computandam inde a primo die quo ipsi magister & socii adepti fuerint pacificam possessionem huiusmodi terrarum & tenementorum. Et si contingat dictam appropriacionem in forma predicta non fieri citra finem dictorum decem annorum, uolunt tamen & concedunt predicti magister [&c.] quod dictus dominus episcopus & assignati sui teneant dictum tenementum uocatum Burnel Ine ultra finem dictorum decem annorum usque ad terminum vite dicti domini episcopi, ac quod principalitas eiusdem tenementi cum pertinenciis pro eodem tempore remaneat dicto domino episcopo & assignatis suis, reddendo inde annuatim ad terminos Pasche & sancti Michaelis predictis magistro & sociis & successoribus suis decem marcas, sex solidos & octo denarios; ita tamen quod principalitas dictis tenementi post obitum dicti domini episcopi & terminum predictorum decem annorum remaneat in libera disposicione predictorum magistri & sociorum suorum, nisi in uita dicti domini episcopi uel infra terminum predictorum decem annorum predicti magister & socii pacificam possessionem tenementorum & terrarum in forma predicta fuerint assecuti. [The College will perform the necessary repairs, and will warrant]. In cuius [&c. sealing]; dat' ultimo die mensis Ianuarii anno regni regis Henrici quinti post conquestum Anglie tercio.

210.

[Oseney Abbey leases to Balliol College a small piece of land in Jury Lane.]

Hec indentura facta inter religiosos viros abbatem & conuentum monasterii beate Marie de Oseneye iuxta Oxoniam ex parte una & magistrum & scolares siue socios collegii de Balliolo Oxonie ex altera testatur quod predicti abbas & conuentus concesserunt, tradiderunt & ad firmam dimiserunt prefatis magistro & sociis unam aream siue

A. 14. 3 Mar. 12, 1443

fundum situatum in le Iury lane Oxonie fere exoposito scole iuris ciuilis continentem in latitudine iuxta viam septem pedes de assisa & in profunditate siue longitudine uersus quoddam tenementum eorundem magistri & sociorum vocatum Burnelshyn quindecim pedes, et abuttat secundum latitudinem ex parte occidentali ad tenementum Iohannis H*ar*mwell gentylman in cornerio quod extunc tenuit Willelmus Smyth; habendam & tenendam predictam aream siue fundum prefatis magistro & sociis & eorum successoribus usque ad terminum nonaginta nouem annorum proximo sequencium & plenarie complendorum pro tribus solidis & quatuor denariis quos pre manibus soluerunt. Et predicti magister & socii facient in latitudine iuxta viam ut supra unum murum lapideum & reparabunt & emendabunt eundem murum quociens necesse fuerit sumptibus suis propriis & expensis durante termino supradicto & in fine termini predicti bene reparatum dimittent. In cuius [&c. sealing]. Dat' in festo sancti Gregorii pape anno domini MCCCC quadragesimo tercio et anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie vicesimo secundo.

211.

[Balliol grants to William Orchard a lease of the Pike Inn.]

B. II. 26
Oct. 10,
1472

Hec indentura facta inter magistrum Iohannem Segden', magistrum collegii siue aule Ballioli & eiusdem loci consocios ex parte una & Willelmum Orchard[1] aliter Mason de Oxonia, Agnetem uxorem eius & Iohannem filium eorundem ex parte altera testatur quod predicti magister & consocii tradiderunt, concesserunt & ad firmam dimiserunt prefatis W., A., & I. quoddam tenementum siue hospicium suum de le Pyke cum duobus solariis ac una shopa ac suis pertinenciis infra parochiam sancti Aldati; habendum & tenendum prefatis W., A., & I. ac eorum diutius uiuenti a festo sancti Michaelis ultimo preterito usque ad finem viginti unius annorum; reddendo inde annuatim quatuor marcas ad quatuor anni terminos [Dec. 25, Mar. 25, June 24 & Sep. 29]. [The owners may distrain for the rent, and will keep the buildings in repair]. Et ulterius conventum est inter partes quod si contingat dictos W. & A. a predicta villa Oxonie absentari propter aliquod arduum negotium expediendum, quod tunc liceat eis dictum tenementum per alium seu alios occupare consensu & assensu prefatorum magistri & sociorum collegii requisitis & obtentis. In cuius [&c. seal-

[1] William Orchard was the leading mason and builder at Magdalen at this time; see History of Magdalen by H. A. Wilson, pp. 22–6.

ing]; hiis testibus, magistris Willelmo Silkes rectore ecclesie sancti Aldati Oxon', Iohanne Fitz-Roberts clerico notario publico, Ricardo Todkill & Ricardo Neuport literatis de Oxonia & aliis. Dat' apud Oxoniam decimo die mensis Octobris anno regni regis Edwardi IV duodecimo.

212.

[A statement by Robert Carter, Wolsey's agent.]

B. 9. 17 Sept. 29, 1529

In dei nomine, Amen. Per presens publicum instrumentum cunctis appareat euidenter et sit notum quod anno domini millesimo quingentesimo vicesimo nono indiccione secunda, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis diuina providentia eius nominis pape septimi anno sexto mensis vero Septembris die antepenultimo, in quadam alta camera domus siue habitacionis prouidi viri Willelmi Freer infra parochiam Omnium Sanctorum in Oxonia Lincolniensis diocesis situate, in meique notarii publici ac testium inferius nominatorum presentia personaliter constitutus venerabilis vir magister Robertus Carter clericus non vi, metu, dolo, fraude, seu aliqua alia sinistra machinatione coactus, ut asseruit, seu circumventus, sed ex eius vera, certa, propria et mera scientia ac libera et spontanea voluntate ad perpetuam rei memoriam, ne fides vera pereat, ac ad omnem iuris effectum qui exinde sequi poterit, tactis per eundem manu sua dextera sacrosanctis dei euangeliis ad ea iurauit et in veri iuramenti sui huiusmodi veritatem ut asseruit testificando tunc ibidem publice dixit et recitauit hec verba in Anglicis subsequentia seu eis in effectu consimilia:—'Whereas it is so that the Maister & Fellowys of Bayly College in Oxford of late had certayn bylded howsys & lond nowe beyng taken yn to the Cardinall college in Oxford aforesaid and have made wryting under their commyn seale of the sale of the said londs for money, as is pretended by their said wryting, that they had beforehand receyved; and whereas the said wryting so sealed was delyvered unto me by the hands of Maister John Brodley, Fellowe of the said Bayly College under certayn conditions, that is to saye that the said Bayly College shuld have for their said londs so taken yn as good & sufficient londs ageyn or as much money as their sayd londs were worthe or a benefice sufficient impropred to the said Bayly College for recompense for their saide londs, because that hereafter it shall not be alleged that the said Maister & Fellowis have receyved any summe or parcell by me yn the name of my lorde Cardinall or his forsaid College for the forsaid londs and so for default of the trewth

they to have great losse & dammage yn that case, I here before you all testifie that on my very faithe and trewthe I never payd any money or made any other convention for the satisfaction of the said lond with the said Maister & Fellowys or any of theym or receyved any money of any man under the name or pretense to make to theym any suych satisfaction, nother receyved of the said Mr. John Brodley the said wryting so sealyd, or deliuered it to Mr. Tonoys or to any other man, under any other manner or pretense than under the name of the said Mr. & Fellowys & under the conditions aboverehersyd.' Super quibus omnibus & singulis dictus venerabilis vir magister Robertus Carter [iuratus][1] in presencia subscriptorum sibi unum vel plura publicum seu publica instrumentum seu instrumenta conficere requisivit. Acta sunt hec omnia et singula premissa sub anno domini, indiccione, pontificatu, mense, die et loco predictis, presentibus tunc & ibidem magistris Iohanne Wadam, Iohanne Hale clericis, Willelmo Frere, Iohanne Best et Thoma Warmyngtone literatis, Exoniensis, Wigorniensis, Lincolniensis, Eboracensis & Londoniensis diocesum, testibus ad premissa vocatis atque rogatis.

With the certificate of Robert Warmyngton public notary, somewhat obliterated.

213.

[A notice by Balliol College that it intends to resume its property now within Cardinal College.]

B. 9. 18
Oct. 5.
1530

Uniuersis Cristi fidelibus [&c.] Willelmus White sacre theologie bacularius magister collegii de Balliolo in Uniuersitate Oxonie et scolares eiusdem collegii salutem. Cum nuper per quamdam cartam cuius dat' est apud Oxoniam decimo octauo die Aprilis anno regni regis Henrici octavi post conquestum decimo septimo ut asseritur, dederimus, concesserimus ac per cartam illam confirmauerimus venerabili viro magistro Iohanni Highdone decano collegii Thome Wolsy cardinalis Eboracensis vulgo appellati Cardynall's College in alma achademia Oxonie situati et eiusdem collegii canonicis octo tofta, octo curtilagia et septem cotagia iacentia in villa Oxonie, ac eciam unum aliud toftum et curtilagium super que quidem aliud toftum et curtilagium olim edificatum fuit quoddam hospitium studii iuris ciuilis vocatum London college, ac insuper per eandem cartam nostram ut asseritur attornauerimus, constituerimus et in loco nostro posuerimus dilectum nobis in Christo Georgium Reve

[1] Illegible.

Nouerint uniuersi quod nos magister & scolares aule de Balliolo de Oxonia sub forma & condicionibus subscriptis concessimus, dimisimus & tradidimus Iohanni Holewey sclattere de Oxonia totum gardinum nostrum cum curtilagio & suis pertinenciis iacens ex opposito muri ville Oxonie inter mansum rectoris & scolarium aule de Exon ex parte occidentali & vicum vocatum Scolestrete ex parte orientali; habendum & tenendum predictum gardinum cum curtilagio & suis pertinenciis prefato Iohanni Holewey ad totum terminum vite sue & heredibus & assignatis suis per viginti annos proximo post ipsius Iohannis decessum sequentes & plenarie completos de nobis & successoribus nostris, reddendo inde annuatim nobis & successoribus nostris sex solidos & octo denarios bone & usualis monete ad duos anni terminos [viz. Mar. 25 & Sep. 29]. Et predictus I., heredes & assignati sui durante toto termino predicto omnes muros circa dictum gardinum cum suis pertinenciis existentes sumptibus suis propriis competenter sustentabunt & quando necesse fuerit emendabunt & in adeo bono statu quo illa iamdictus Iohannes recepit seu meliori in fine termini predicti dimittet seu dimittent, ita quod non liceat dicto Iohanni nec heredibus vel assignatis suis aliquas arbores in dicto gardino crescentes scindere aut euellere nisi ex speciali licencia predicti magistri & scolarium. Concessi eciam ego prefatus Iohannes Holewey pro me, heredibus & assignatis meis quod si contingat nos in solucione dicti redditus post aliquem terminum predictum per medietatem unius anni aretro existere aut vastum de predictis arboribus ut premittitur facere, extunc bene liceat prefatis magistro & scolaribus & eorum successoribus predictum gardinum cum suis pertinenciis ingredi & in manibus suis reseisire, nosque abinde penitus eicere & expellere nullo remedio iuris racione ingressus eieccionis & expulsionis illius nobis quouismodo competente. Et nos predicti magister [&c.

A. 9. 10 Dec. 6, 1370

warranty]. In cuius [&c. sealing]; dat' apud Oxoniam die Veneris in festo sancti Nicholai episcopi, anno regni regis Edwardi tercii post conquestum quadragesimo quarto.

232.

[Balliol grants a lease of the site to John Weston.]

A. 9. 11 Feb. 15, 1411

Hec indentura facta inter magistrum Thomam Chace clericum magistrum collegii vulgariter nuncupati le Bayllyolhalle in suburbio extra portam borialem Oxonie & eiusdem collegii socios ex una parte & Iohannem Weston de Oxonia ex altera parte testatur quod dicti magister & socii concesserunt & dimiserunt prefato Iohanni unum gardinum iacens in parochia sancte Mildrede virginis Oxonie inter collegium vocatum Excestrehalle in Oxonia ex parte occidentali & vicum scolarum ex parte orientali; habendum & tenendum dictum gardinum cum pertinenciis prefatis Iohanni & assignatis suis a festo Annunciacionis beate Marie virginis proximo futuro usque ad finem termini decem annorum tunc proximo sequencium & plenarie completorum; reddendo inde annuatim durante termino predicto prefatis magistro & sociis & successoribus suis septem solidos argenti usualis monete equis porcionibus ad festa sancti Michaelis archangeli & Annunciacionis beate Marie virginis. Et prefatus I. & assignati sui muros dicti gardini custagiis suis propriis sustentabunt & reparabunt per totum terminum predictum. Et si [&c. if the rent is unpaid, the College may distrain. The College will warrant]; hiis testibus, Waltero Daundeseye maiore ville Oxonie, Willelmo Offord & Thoma Gibbys balliuis eiusdem ville, Ricardo Garstone, Iohanne Merstone, Edmundo Kenyan, Iohanne Sprunt aldremannis, Nicholao Nortone clerico & aliis. Dat' apud Oxoniam quintodecimo die Februarii anno regni regis Henrici quarti post conquestum duodecimo.

233.

[Balliol grants a lease for 99 years to the University.]

A. 7. 15 July 6, 1427

Hec indentura facta apud Oxoniam in uigilia Translationis sancti Thome martiris anno domini MCCCCXXVII & anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie quinto inter magistrum Robertum Burley magistrum siue custodem collegii vulgariter nuncupati Baylyolhalle in suburbio ville Oxonie & eiusdem loci socios siue scolares ex una parte

& magistrum Thomam Chace sacre pagine professorem [&c. as in no. 35] ex altera parte testatur quod dicti Magister Robertus Burley [&c.] tradiderunt & ad firmam dimiserunt prefatis Thome Chace [&c.] unam vacuam placeam terre infra menia ville Oxonie situatam inter collegium Exonie ex parte occidentali & vicum scolarum ex parte orientali unde unum caput abuttat super Exedre Lan iuxta predicta menia [&c. as in no. 234 . . . . . .] triginta & sex pedes & septem pollices; habendam [&c.] prefatis Cancellario [&c.] usque ad finem termini nonaginta & nouem annorum proximo sequencium & plenarie complendorum de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta, reddendo inde annuatim durante termino predicto magistro siue custodi collegii predicti & eiusdem loci sociis siue scolaribus ac suis successoribus septem solidos bone & legalis monete Anglicane ad festa sancti Michaelis archangeli & Annunciacionis beate Marie Virginis equis porcionibus. [The owners may distrain for the rent]. Et predicti Cancellarius [&c.] infra terminum predictum sicut et pro perpetuo si contingat ipsos predictam uacuam placeam terre in feodum perpetuum obtinere nullum edificium siue nocumentum super dictam vacuam placeam terre facient seu fieri permittent ex opposito scol*arum* collegii sepedicti ad obturandum siue impediendum lumen alicuius fenestrarum dictarum scolarum, sed uolunt & concedunt dicti Cancellarius, procuratores & magistri pro se & successoribus suis quod dicte fenestre erunt aperte modo quo nunc sunt aliqua consuetudine Uniuersitatis seu ville Oxonie non obstante, habita tum sufficienti reparacione earundem fenestrarum quoad ferramenta uel consimilia sumptibus collegii antedicti. Insuper bene licebit prefatis magistro siue custodi [&c.] quocies necesse fuerit durante termino predicto sicut & imperpetuum si contingat dictos Cancellarium [&c.] prefatam vacuam placeam terre in feodum perpetuum obtinere cum seruientibus & operariis suis liberum ingressum habere per[1] dict*am* vacu*am* plac*eam* terre aut aliunde prouidebit dicta Uniuersitas congrue pro eodem ad reparandum, emendandum siue edificandum scolas predictas & pro tempore huius reparacionis, emendacionis siue edificacionis asiamentum cum propriis scalis & aliis necessariis super dictam vacuam placeam terre sine contradictione & impedimento ut moris est habere & obtinere. Et predicti magister [&c. warranty]. In cuius [&c. alternate sealing].[2]

A modern transcript of no. 233. **A. 7. 16**

[1] pro, MS.

[2] With the seal of the Chancellor; the Chancellor seated between the two proctors; beneath them six figures.

234.

[An agreement between Balliol and the University.]

A. 7. 17
July 6,
1427

Hec indentura facta apud Oxoniam in uigilia Translationis sancti Thome martyris anno domini millesimo ccccxxvii et anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie quinto inter magistrum Thomam Chace, sacre pagine professorem, Uniuersitatis Oxon' Cancellarium ac magistros Henricum Seuer & Ricardum Babthorpe procuratores ceterosque magistros Uniuersitatis predicte ex parte una, et magistrum Robertum Burley, magistrum siue custodem collegii uulgariter nuncupati Baylyolhall in suburbio ville Oxon' et eiusdem loci socios siue scolares ex altera parte, testatur quod si predicti Cancellarius, procuratores et magistri Uniuersitatis predicte aut eorum successores unanimes assensu & consensu suis infra sexaginta annos a die confectionis presentium dederint, concesserint, et carta sua communi sigillo Uniuersitatis predicte sigillata confirmauerint eidem magistro Roberto, magistro siue custodi predicti collegii et eiusdem loci sociis siue scolaribus aut successoribus suis unum tenementum cum pertinenciis eidem collegio contiguum, quod quidem tenementum iidem magister siue custos, socii siue scolares collegii predicti de predictis Cancellario, procuratoribus et magistris Uniuersitatis predicte iam tenent, quod quidem tenementum situatur in suburbio ville Oxon' inter collegium siue aulam Balliol' ex parte orientali et tenementum prioris et conuentus sancte Frideswide ex parte occidentali, unde unum caput abuttat super stratam regiam uersus austrum et alterum caput abuttat super gardinum collegii seu aule Balliol' predicte et continet in longitudine nonaginta sex pedes et in latitudine in fine australi quadraginta et septem pedes et in fine boreali quadraginta & unum pedem, habendum & tenendum predictum tenementum cum pertinenciis eisdem magistro siue custodi et sociis siue scolaribus collegii predicti et eorum successoribus de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita et de iure consueta, obligando eosdem Cancellarium, procuratores et magistros Uniuersitatis predicte et eorum successores per eandem cartam ad warantizandum predictum tenementum cum pertinenciis predictis magistro siue custodi et sociis siue scolaribus collegii predicti et eorum successoribus in perpetuum, ac etiam ad acquietandum eosdem de omni onere uel redditu erga quoscumque, licencia domini regis nunc, heredum uel successorum suorum regum Anglie, per eosdem Cancellarium, procuratores et magistros Uniuersitatis predicte aut eorum successores inde primitus

sufficienter in lege obtentis; post quod quidem feoffamentum tenementi predicti cum pertinenciis in forma predicta factum predicti Cancellarius, procuratores et magistri Uniuersitatis predicte pro se & successoribus suis uolunt et concedunt per presentes, quod si predicti magister siue custos et socii siue scolares collegii predicti aut eorum successores unanimes assensu et consensu suis, quandocumque per eosdem Cancellarium, procuratores et magistros Uniuersitatis predicte requisiti fuerint, dederint, concesserint & carta sua indentata communi sigillo collegii predicti sigillata confirmauerint eisdem Cancellario, procuratoribus et magistris Uniuersitatis predicte aut eorum successoribus unam vacuam placeam terre infra menia ville Oxon' situatam inter collegium Exonie ex parte occidentali et vicum scolarum ex parte orientali, unde unum capud abuttat super Exedre Lan iuxta predicta menia uersus boream et alterum caput abuttat super fundos seu tenementa abbatis et conuentus Dorcestrie et aule Balliol iuxta Mildrede Lane uersus austrum, et continet in longitudine a fine boreali dicte placee usque ad finem australem eiusdem centum, sexaginta & undecim pedes ac quinque pollices et a primo pede inclusiue a fine boreali dicte longitudinis usque ad quinquagesimum quartum pedem inclusiue eiusdem uersus austrum continet in latitudine a vico scolarum usque ad collegium Exon' predictum centum & triginta pedes et unum pollicem; et a dicta prima mensura exclusiue dicte longitudinis ad octogesimum sextum pedem et quartum pollicem inclusiue totius eiusdem a fine boreali continet in latitudine a fundo priorisse et conventus de Stodeley iuxta vicum scolarum usque ad dictum collegium centum et nouem pedes et decem pollices, et ab illa secunda mensura exclusive dicte longitudinis ad octogesimum undecimum pedem et nonum pollicem totius eiusdem a dicto fine continet in latitudine a fundo scolarum collegii Exon iuxta dictum vicum usque ad dictum collegium octoginta & unum pedem; et ab illa tercia mensura exclusive dicte longitudinis ad centesimum quartum pedem et sextum pollicem totius eiusdem a dicto fine continet in latitudine a fundo scolarum dicti collegii Exon iuxta dictum uicum usque ad fundum prioris et conuentus sancte Frideswide uersus occidentem quadraginta & duos pedes et ab illa quarta mensura exclusiue dicte longitudinis ad centesimum decimum septimum pedem et unum pollicem totius eiusdem a dicto fine continet in latitudine a predicto fundo scolarum dicti collegii Exon iuxta dictum uicum usque ad predictum fundum predicti prioris et conventus uiginti & quinque pedes et septem pollices; et ab illa quinta mensura exclusive dicte longitudinis ad

centesimum tricesimum quintum pedem et nonum pollicem totius eiusdem a predicto fine continet in latitudine a fundo scolarum dicti collegii Exon contiguo fundo scolarum predictarum usque ad predictum fundum predicti prioris et conuentus triginta et unum pedem et septem pollices; et ab illa sexta mensura exclusive dicte longitudinis ad centesimum sexagesimum quartum pedem et quintum pollicem totius eiusdem a predicto fine continet in latitudine a fundo scolarum aule Balliol iuxta predictum uicum usque ad predictum fundum predicti prioris et conuentus quadraginta & sex pedes & quatuor pollices; et ab illa septima mensura exclusive dicte longitudinis ad finem australem totius longitudinis continet in latitudine a predicto fundo scolarum aule Balliol usque ad quoddam botras seu quendam angulum predicti fundi predicti prioris et conuentus triginta et sex pedes & septem pollices; habendam & tenendam predictam vacuam placeam terre prefato Cancellario, procuratoribus et magistris Uniuersitatis predicte et eorum successoribus de capitalibus dominis feodi illius per seruitia inde debita et de iure consueta, et etiam reddendo annuatim eisdem magistro siue custodi et sociis siue scolaribus collegii predicti et successoribus suis quinque solidos legalis monete ad festa sancti Michaelis archangeli et Annunciacionis beate Marie virginis equis porcionibus; [for which rent the College may distrain]; obligando eosdem magistrum siue custodem et socios siue scolares collegii predicti et eorum successores per eandem cartam ad warrantizandum predictam uacuam placeam terre predictis Cancellario, procuratoribus et magistris Uniuersitatis predicte et successoribus suis forma et declarationibus predictis in perpetuum; ac eciam ad acquietandum eosdem de omni onere & redditu eidem vacue placee terre pertinenti erga quoscumque alios pro redditu predicto, licentia domini regis nunc, heredum vel successorum suorum regum Anglie per eosdem Cancellarium, procuratores et magistros Uniuersitatis predicte aut eorum successores inde primitus in lege sufficienter obtentis; quod tunc quedam obligatio per quam iidem magister siue custos et socii siue scolares collegii predicti et successores sui tenentur et obligantur predictis Cancellario, procuratoribus et magistris Uniuersitatis predicte et eorum successoribus in mille marcis pro nullo habeatur; sin autem, in suo robore permaneat et effectu. Et predicti magister siue custos & socii siue scolares collegii antedicti uolunt & concedunt pro se & successoribus suis quod si prefati Cancellarius, procuratores & magistri Uniuersitatis predicte aut eorum successores teneant & perimpleant omnes & singulas conuenciones amortizacionem predicti

tenementi & dicte vacue placee terre concernentes ex parte sua, quod extunc obligacio mille marcarum per quam dicti Cancellarius, procuratores & magistri & eorum successores tenentur & obligantur prefatis magistro sive custodi & sociis siue scolaribus collegii antedicti & eorum successoribus pro nullo habeatur; sin autem, in suo robore permaneat & effectu. In cuius [&c. alternate sealing].

235.

Mar. 1, 32 Hen. VIII [1541]; a lease to John Hore glover & Agnes his wife of a garden ground bounded by the Divinity School N., Exeter College W., the street by Brasenose & Lincoln College S., certain schools pertaining to Balliol and Exeter E., together with the west end of a school abutting on the said garden ground and lying next to the street on the south; for 20 years; rent 6*s.* 8*d.*; John, Agnes or their assigns 'shall not make nor suffre to be made any bowling alley, butts, tenes cowrte, or any other manner of pastyme shall suffre their to be used which shall or may be at any time lett, hinderaunce or noysome to estudients', nor 'suffer any hoggstye to be made or any dungehill or any other fyllthie savors whiche may be noysome and infectuose to them that shall resort to the scholis or any other places theirabowt, and if it chance that any hepe of dunge be cast into the street out of the said garden or the said part of the schole that it shalbe caried away assone as it amowntith to the quantitie of a loade, nother it shalbe lefull to the said John [&c.] to buyld or set any tre or trees whiche may let or stoppe the light of the scholis, and if any harme be done to the scholis by breaking of windowes or otherwise through default or necgligence of them or any of theirs, that then such harme done shalbe redressed at their costs; and if by any casualtie thorow their necgligence the end of the said schole or any other thing were to take harm, that then the said John, his wife or their assigns shall redresse all such hurt and damage at their proper costs'; 'and if chaunce shalbe the Universyte or any other be disposed to buyld on the said ground for the behove of the said College that then the said John, his wyfe & assigns shall yield and give up to the said master & fellows their tytle, hold and interest frely renowncing the same, this indenture notwithstanding.' **A. 9. 13**

236.

A. 9. 14 Sept. 1, 4 Ed. VI [1550]; a lease by James Broke, 'master of Balliol Colledge otherwise callyd Baylye Colledge' and the fellows to John Spenser of Oxford 'howsyer', of three schools in School Street in St. Mary's parish to make a garden; the south end of the first school butts upon the way towards Brasenose, the second lies next to it on the north, the third joins to Exeter College school now in the tenure of William Marbecke; for 21 years; rent 2*s.* 6*d.*; 'Allso the said John couenauntyth & grauntyth by theis presents that yf the head of the Uniuersite or ony other shall at ony tyme hereafter buyld or erect newe scholes in the saide strete comenly callyd the schole strete duryng his lease of xxi yeres that then the saide John & his assigneis to delyver & surrender or cause to be delyuerydd or surrendred the saide indenture or lease of the saide iii scholes or garden grounde into the hands of the saide master & felowes or their successors'; 'further the master & felowes couenaunte & graunte by theis presents that yf yt shall fortune no new scholes there to be buyldyd duryng the saide terme of xxi yeres that then the saide John Spenser, his heyres, executors, or assigneis to inyoye & to have the preferment of the saide garden grounde of the three scholes aforesaide before ony other person or persons doyng as a nother man wylle next & immediatly after the full yeres expired and endyd of this present lease & dimission unto the end & terme of other xxi yeres.'

237.

A. 9. 15 Mar. 19, 8 Eliz. [1566]; a lease by Robert Hoper, master of Balliol, & the fellows to John Neale rector of Exeter & the fellows of a garden ground and stable in St. Mary's parish bounded by the Divinity School N., Exeter College W., schools of Balliol and Exeter E., the road S.; for 41 years; rent 20*s.*; the tenants will not suffer a bowling alley or tennis court to be set up there, nor make hogsties or dunghills: 'provyded allwaies that yf it fortune the Universitie do builde any schole or scholes in or uppon the said garden ground with other the premisses within the terme of the years of this lease by vertue or force of any comission or any other lyke commaundement gyven owte by the Queen's highenes or any of her successors that then it shalbe lawful for the said Rector & fellowes of Exeter College or their

successors yf any grounde within the said garden and other the premisses be vaccante & not builded uppon to have & possess the same for an indifferent rente paying during the term of the aforesaid yeres to the said Master & fellows, which to be rated and set according to the arbitrement of fowre honest men,' two chosen by either side.

238.

Aug. 18, 12 Eliz. [1570]; a lease by 'John Pers' D.D. master of Balliol & the fellows to Rycharde Hanson of Oxford 'merser' of a garden ground containing 'in length lxiii foote or thereaboute & in breadth xxi foote or thereaboute' in School St. in 'St. Maris parish', late in the tenure of John Spenser, bounded by the way towards Brasenose S., a garden ground of Exeter College[1] now in the tenure of Doctor Baylye N., a garden of Balliol College in the tenure of John Lews, baker W., and a lane or way lying by the Scholes E.; for 21 years; rent 2*s.* 6*d.*; without the additional covenants of no. 236. **A. 9. 16**

239.

An indenture of Oct. 6, 14 Eliz. [1572] by which Balliol College grants to Exeter College three gardens in the occupations of Walter Baylie doctor of Phisicke, Garbrand Harkes & Richard Hanson severally, lying on the east part of Exeter College, W. of School St., S. of the Divinitie school, N. of Mildred Lane, in exchange for a messuage and a garden adjoining late in the tenure of John Kenals doctor of law lying N. of the road leading from Balliol to Magdalene church, W. of the wall of Balliol, E. of certain tenements which belong to Balliol; together with an annuity or yearly rent of xii*s.* vi*d.* from a house of Exeter College situate in the parish of St. Mary Magdalen now in the tenure of John Sommersby; Balliol may distrain on this house, if the annuity is not paid. **A. 9. 12**

IV. CHIMERE HALL. 240–7.

Chimere Hall in Schidyerd Street was given to Balliol in 1310 by Hugh of St. Ives and Geoffrey of Horkestow. It was on the west side of the street not far from the cemetery of St. Frideswide; it would now be between Canterbury Gate and the house of the President of Corpus.

[1] Previously schools of Exeter.

An Inquisition[1] held Feb. 27, 1309, returned the verdict that it was held of the Abbot of Abingdon at a rent of 4*s*. and was worth 16*s*. more; in 1342 it was reckoned to be worth 32*s*. a year or more (see no. 215); but in 1363 when another Inquisition[2] was held, on the proposal of the Archbishop to found Canterbury College, it was declared to be worth only 9*s*. a year. It was granted to Canterbury College in 1394 for a perpetual rent of 26*s*. 8*d*.

240.

[Ralf le Wal sells a messuage in St. Edward's parish to Richard Overhe.]

A. 13. 11
Aug. 30, 1304

Sciant presentes & futuri quod ego Radulfus le Wal piscator dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Ricardo Overhe pellipario Oxonie pro quadam summa pecunie quam michi dedit pre manibus totum illud mesuagium cum omnibus suis pertinenciis quod situm est in parochia sancti Edwardi regis in Oxonia in uico qui uocatur Sydyerd inter tenementum abbatis de Abyndone ex parte una & tenementum prioris sancte Frideswide ex altera; habendum & tenendum totum predictum mesuagium cum pertinenciis prefato Ricardo & heredibus suis uel suis assignatis de capitali domino illius feodi per seruicium inde debitum & consuetum libere, quiete, bene & in pace in perpetuum. Et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing] hiis testibus, Roberto de Wormenhale tunc maiore Oxonie, Hugone Cari & Willelmo de Burncestre tunc balliuis eiusdem uille, Philippo de Eu, Iohanne de Eu, Thoma de Souwy, Andrea Culuerd, Thoma de Hengseye, Iohanne With & aliis. Dat' apud Oxoniam in crastino decollationis sancti Iohannis Baptiste anno regni regis Edwardi filii regis Henrici tricesimo secundo.[3]

241.

[Richard Overhe sells it to Hugh de St. Ives and Geoffrey de Horkestowe.]

A. 13. 12
Mich. 1306–
Mich. 1307

Sciant presentes a futuri quod ego Ricardus Ouerhe pelliparius Oxonie dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui magistris Hugoni de sancto Iuone, Galfrido de Horkestowe, pro quadam summa pecunie quam michi dederunt pre manibus, totum illud

[1] Inquisitio ad quod damnum, portf. 74, no. 16 (Record Office).
[2] Ibid., portf. 348, no. 16.
[3] Seal, pointed oval, 1¼ in. by 1 in., a fleur de lis; S' RADVL[FI FIL'] ROB'TI VAL.

mesuagium cum omnibus suis pertinenciis quod vocatur Chimere Halle, quod situm est in parochia sancti Edwardi regis in Oxonia in vico quod vocatur Schydyerd inter tenementum abbatis de Abyndone ex parte una & tenementum prioris sancte Frideswide ex altera; habendum & tenendum totum predictum mesuagium cum pertinenciis prefatis magistris Hugoni, Galfrido & heredibus suis uel assignatis de capitali domino illius feodi per seruicium inde debitum & consuetum libere & quiete, bene & in pace in perpetuum. Et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne de Dukelyntone tunc maiore Oxonie, Waltero de Wycumbe & Willelmo Penard tunc balliuis eiusdem ville, Philippo de Ew, Iohanne de Ew, Thoma de Sowy, Andrea de Pyrie, Andrea Culuerd, Iohanne de Colishulle & aliis.

242.

[Licence in mortmain of Edward II.

A. 13. 21
July 4, 1310

Edwardus dei gracia, rex Anglie, dominus Hibernie & dux Aquitannie omnibus ad quos presentes littere peruenerint salutem. Licet de communi consilio regni nostri statutum sit quod non liceat uiris religiosis seu aliis ingredi feodum alicuius ita quod ad manum mortuam deueniat sine licencia nostra & capitalis domini de quo res illa inmediate tenetur; uolentes tamen dilectis nobis in Cristo magistro domus scolarium de Balliolo Oxonie & scolaribus eiusdem domus graciam facere specialem concessimus & licenciam dedimus pro nobis & heredibus nostris quantum in nobis est magistro Hugoni de sancto Iuone & magistro Galfrido de Horkestowe quod ipsi unum mesuagium cum pertinenciis in Oxonia in subuencionem sustentacionis eorundem magistri & scolarium, et magistro Hugoni de Warkenby & magistro Willelmo de Gotham quod ipsi quatuor mesuagia cum pertinenciis in eadem uilla ad inueniendum quendam capellanum diuina in capella sancte Katerine eiusdem domus singulis diebus celebraturum, et magistro Waltero de Foderinggeye quod ipse quandam placeam terre cum pertinenciis in suburbio Oxonie continentem in se sexaginta & decem pedes terre in longitudine & centum pedes terre in latitudine, et Gilberto de Pontefracto & Thome de Humbletone quod ipsi duas placeas terre vacuas cum pertinenciis in suburbio predicto que de nobis tenentur in capite & quarum una continet in se centum & quater uiginti pedes terre in longitudine & triginta pedes in latitudine, & alia placea continet in se centum & quater uiginti pedes terre in longi-

tudine & uiginti pedes terre in latitudine, manso dictorum magistri & scolarium ibidem continguas ad elargacionem eiusdem mansi dare possint & assignare eisdem magistro & scolaribus; habenda & tenenda sibi & successoribus suis, magistro & scolaribus eiusdem domus imperpetuum; et eisdem magistro & scolaribus quod ipsi predicta mesuagia & placeas cum pertinenciis a prefatis H., G., H., W., W., G. & T. recipere possint & tenere sibi & successoribus suis predictis imperpetuum sicut predictum est tenore presencium similiter licenciam dedimus specialem, nolentes quod predicti H., G., H., W., W., G. & T. vel heredes sui aut prefati magister & scolares uel successores sui racione premissorum per nos uel heredes nostros, iusticiarios, escaetores, uicecomites aut alios balliuos seu ministros nostros quoscumque occasionentur, molestentur in aliquo seu grauentur, saluis tamen nobis & aliis capitalibus dominis feodorum illorum seruiciis inde debitis & consuetis. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Westmonasterium quarto die Iulii anno regni nostri tercio.

Endorsed in a contemporary hand. Carta regis de Aula Chimere & de scolis & de una placea in orto nostro & de duabus placeis extra portam nostram. Nona.[1]

243.

[Hugh de St. Ives and Geoffrey de Horkestow give Chimere Hall to Balliol.]

A. 13. 13
July 10, 1310

Sciant presentes & futuri quod nos Hugo de sancto Yuone & Galfridus de Horkestow clerici dedimus, concessimus & hac presenti carta nostra confirmauimus magistro domus scolarium de Balliolo in Oxonia & scolaribus eiusdem domus totum illud mesuagium cum omnibus suis pertinenciis quod vocatur Chimere halle, quod situm est in parochia sancti Edwardi regis in Oxonia in uico qui uocatur Schydyerd inter tenementum abbatis de Abbyngtone ex parte una & tenementum prioris sancte Fredeswyde ex altera in subuencionem sustentacionis predictorum magistri & scolarium, quod quidem tene-

[1] Two Inquisitions were held on Feb. 27, 1309, and Feb. 6, 1310, respectively, to know the value of the tenements, and whether it would be to the King's damage if they were given to Balliol. The four messuages were declared to be worth 30*s*. beyond a rent of 7*s*. to Bicester Priory, Chimere Hall to be worth 16*s*. beyond a rent of 4*s*. to Abingdon, and the pieces of land to be worth 6*d*. The former inquisition is endorsed 'Fiat de gracia domini regis sine fine'. (Inq. ad q. d. 74. 16 and 77. 22; Record Office.)

THE SEAL OF CANTERBURY COLLEGE; THE MURDER OF ST. THOMAS
SIGILLUM COLLEGII AULE CANTUARIE IN OXONIA

[Face page 161

mentum habuimus ex concessione, donacione, tradicione Ricardi Owre pelliparii pro quadam summa pecunie sibi pre manibus tradita; tenendum & habendum totum predictum mesuagium cum pertinenciis suis de nobis & heredibus nostris prefatis magistro & scolaribus & eorum successoribus eiusdem domus iuxta formam, uim & effectum carte domini regis nobis & eis licenciam in hac parte specialem tribuentis, statuto de terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis edito non obstante, reddendo inde annuatim capitali domino feodi illius seruicium inde debitum & consuetum. Et nos predicti Hugo & Galfridus & heredes nostri totum predictum messuagium cum omnibus suis pertinenciis prefatis magistro & scolaribus & eorum successoribus quietum clamauimus in perpetuum. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne de Dukelingtone tunc maiore Oxonie, Ricardo de Berkley & Willelmo le Chatur' tunc balliuis, Andrea de Pyry, Ricardo le Spicer, Thoma de Sowy, Henrico de Lynne, Roberto de Welles, Ricardo de Owre, Thoma de Pyry tunc clerico ville & multis aliis. Scriptum & consignatum Oxonie VI Idus Iulii anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi quarto.

244.

[Balliol grants Chimer Hall to Canterbury College.]

A. 13. 14 Sept. 4, 1380

Sciant presentes & futuri quod nos magister & scolares de Bailolhalle in Oxonia unanimi assensu & voluntate nostris dedimus & concessimus & hac presenti carta nostra indentata pro nobis & successoribus nostris in perpetuum confirmauimus custodi & scolaribus collegii Cantuarie in Oxonia unum mesuagium cum pertinenciis in Oxonia, alias nuncupatum Chymerhalle, iacens capitando versus regiam stratam Est & gardinum dicti collegii Cantuarie West, North & South; habendum & tenendum predictum mesuagium cum pertinenciis prefatis custodi & scolaribus collegii predicti & successoribus suis custodibus & scolaribus collegii illius in puram & perpetuam elemosinam imperpetuum, prout in litteris patentibus domini regis nunc de licencia sua speciali ad taliter faciendum & recipiendum plenius continetur. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing]. Dat' apud Oxoniam quarto die Septembris anno regni regis Ricardi secundi quarto.[1]

[1] Seal of Canterbury College; see Plate.

245.

[Licence of Richard II that the Prior of Christ Church, Canterbury, may grant to Balliol a perpetual rent of two marks from the manor of Newington.]

A. 13. 22 Nov. 18, 1393

Ricardus dei gracia rex Anglie & Francie & dominus Hibernie omnibus ad quos presentes littere peruenerint salutem. Sciatis quod cum dilecti nobis magister & scolares de Baylolhalle in Oxonia nuper de licencia nostra concesserint custodi & scolaribus collegii Cantuar' in Oxonia unum mesuagium cum pertinenciis in Oxonia ad intencionem uidelice habendi duas marcas annui redditus ex concessione dilectorum nobis in Cristo Prioris & Conuentus ecclesie Cristi Cantuar', percipiendas de quodam manerio predictorum Prioris & Conuentus in comitatu Oxonie, nos de gracia nostra speciali & pro uiginti solidis quos idem Prior nobis soluit in hanaperio nostro, concessimus & licenciam dedimus pro nobis & heredibus nostris quantum in nobis est eisdem Priori & conuentui quod ipsi quendam annuum redditum duarum marcarum percipiendum ad festa Pasche & sancti Michaelis per equales porciones de manerio suo de Newyntone in comitatu predicto, quod quidem manerium de nobis tenetur in liberam elemosinam, ut dicitur, dare possint & concedere eisdem magistro & scolaribus, habendum & percipiendum sibi & successoribus suis imperpetuum; ita quod si dictus redditus aretro fuerit post aliquem terminorum predictorum, tunc bene liceat prefatis magistro & scolaribus & successoribus suis in dicto manerio pro arreragiis huiusmodi distringere & districciones ea occasione captas penes se retinere quousque eis inde fuerit satisfactum; et eisdem magistro & scolaribus quod ipsi dictum annuum redditum duarum marcarum a prefatis Priore & conuentu in forma predicta recipere possint & tenere sibi & successoribus suis predictis imperpetuum sicut predictum est tenore presencium similiter licenciam dedimus specialem, statuto de terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis edito, aut eo quod dictum manerium de nobis tenetur in liberam elemosinam ut premittitur non obstantibus, nolentes quod predicti Prior & conuentus uel successores sui aut prefati magister & scolares seu successores sui racione statuti predicti uel alicuius premissorum per nos uel heredes nostros, iusticiarios, escaetores, uicecomites aut alios balliuos vel ministros nostros uel heredum nostrorum quoscumque inde occasionentur, molestentur in aliquo seu grauentur. In cuius rei testi-

monium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Westmonasterium decimo octauo die Nouembris anno regni nostri decimo septimo. Per breue de priuato sigillo. Scarle.

246.

[An obligation by Canterbury College to pay two marks a year to Balliol.]

A. 13. 23 Jan. 12, $139\frac{3}{4}$

Hec indentura tripartita facta inter Thomam priorem ecclesie Cristi Cantuarie & eiusdem loci conuentum ex parte una & magistrum Thomam Tyrwhit magistrum & scolares aule de Baliolo in Oxonia ex parte altera & dompnum Willelmum Chert custodem & scolares aule Cantuarie in Oxonia ex parte tercia testatur quod cum predicti Willelmus Chert & scolares predicte aule Cantuarie & successores sui obligentur & per quoddam scriptum suum obligatorium teneantur prefatis magistro Thome Tyrwhit magistro & scolaribus prefate aule de Baliolo in Oxonia & successoribus suis in centum marcis sterlingorum bone & legalis monete, soluendis in festo Pasche proximo futuro post datam presencium; et cum dicti prior & conuentus iuxta licenciam regiam nuper concesserint pro se & successoribus suis prefatis magistro Thome Tyrwhit magistro, scolaribus & successoribus suis magistris & scolaribus predicte aule de Baliolo quemdam annualem redditum uiginti & sex solidorum & octo denariorum percipiendum annuatim de manerio predicti prioris & conuentus de Newyntone cum pertinenciis in comitatu Oxonie ad festum Pasche & Michaelis equis porcionibus pro perpetuo soluendum; tamen predicti magister & scolares prefate aule de Baliolo uolunt & concedunt pro se & successoribus suis magistris & scolaribus ibidem quod quamdiu dictus custos aule Cantuarie aut successores sui uel aliquis nomine suo infra quadraginta dies aliquorum terminorum predictorum immediate sequencium aliquo anno arreragia dicti annui redditus viginti & sex solidorum & octo denariorum superius de dicto manerio de Newyntone ut predicitur percipiendi persoluerit seu persoluerint in dicta aula de Balliolo quod tamdiu prosecucio & accio super dicta obligacione habenda seu manutenenda ponatur in suspensum; et si dictus custos aule Cantuarie aut successores sui defecerit uel defecerint in solucione annui redditus predicti ad aliquem terminum predictorum terminorum in parte vel in toto prout supradictum est, et dictus custos aut successores sui per

[1] With the great seal. *Endorsed.* Pro pencione aule Chemere.

predictum magistrum Thomam Tyrwhit aut per successores suos premunitus seu premuniti fuerit seu fuerint in aula sua in Oxonia & infra quadraginta dies post premunicionem predictam non soluerit arreragia redditus predicti sic aretro existencia in predicta aula de Baliolo, quod extunc dicta obligacio stet in suo robore exequenda. In cuius rei testimonium partibus huius indenture tripartite sigilla communia parcium predictarum alternatim sunt appensa. Dat' duodecimo die Ianuarii anno domini MCCC nonagesimo tercio et regni regis Ricardi secundi post conquestum Anglie decimo septimo.[1]

247.

[Henry VIII confirms the grant of the Prior of Christ Church and orders that Balliol shall receive two marks a year from the Augmentation Office.]

A. 13. 24 Nov. 20, 1542

Henricus octauus dei gracia Anglie, Francie & Hibernie rex, fidei defensor & in terra ecclesie Anglicane & Hibernice supremum caput omnibus ad quos presentes littere peruenerint salutem. Inspeximus inter recorda & irrotulamenta curie augmentacionum reuencionum corone nostre quoddam decretum per Cancellarium & consilium eiusdem curie factum in hec uerba; memorandum quod termino sancte Trinitatis uidelicet uicesimo septimo die Iunii anno regni domini regis nunc Henrici octaui tricesimo quarto Georgius Cotes magister de Baylolhall in Oxonia uenit in curia dicti domini regis augmentacionum revencionum corone sue et protulit ibidem quoddam scriptum indentatum sub sigillo communi nuper prioratus ecclesie Cristi Cantuar' modo dissoluti factum & sigillatum, et petit illud allocari, cuius quidem scripti tenor sequitur in hec uerba; Omnibus Cristi fidelibus ad quos presens scriptum indentatum peruenerit Prior ecclesie Cristi Cantuar' & eiusdem loci conuentus salutem in domino sempiternam. Cum dominus rex de gracia sua speciali per litteras suas patentes nobis licenciam dederit & concesserit quod concedere possimus magistro & scolaribus de Baylolhalle in Oxonia & successoribus suis magistris & scolaribus de Baylolhalle unum annualem redditum viginti sex solidorum & octo denariorum percipiendum de manerio nostro de Newyntone in comitatu Oxonie imperpetuum, noueritis nos dictos Priorem & conuentum pro nobis & successoribus nostris imperpetuum unanimi concensu & uoluntate nostris iuxta licenciam dictarum litterarum domini regis patencium per presentes concessisse

[1] With the seal of Canterbury College.

prefato magistro & scolaribus de Baylolhalle unum annualem redditum xxvi solidorum & octo denariorum ad festa Pasche & sancti Michaelis equis porcionibus percipiendum de manerio nostro de Newyntone in comitatu Oxonie, habendum, tenendum & percipiendum dictis magistro & scolaribus & successoribus suis magistris & scolaribus de Baylolhalle predicta imperpetuum. [They may distrain for this rent.] In cuius [&c. sealing], dat' in domo nostra capitulari vicesimo quinto die Nouembris anno regni regis Ricardi secundi decimo septimo. Et quia per debitam examinationem in hac parte factam & habitam uidetur curie predicte scriptum predictum factum & sigillatum fuisse bona fide & absque covina, fraude seu dolo, ideo scriptum illud per Cancellarium & consilium curie predicte allocatur; et ordinatum & decretum est per eosdem Cancellarium & consilium quod predictus Georgius Cotes modo magister & scolares de Baylolhalle predicta habebunt & gaudebunt imperpetuum eis & successoribus suis magistro & scolaribus de Baylolhalle predicta pro tempore existentibus dictum annualem redditum xxvi solidorum & octo denariorum sterlingorum per annum per manus receptoris particularium curie augmentacionum revencionum corone domini regis in dicto comitatu Oxonie pro tempore existentis de eisdem revencionibus ad festa in scripto predicto limitata per equales porciones solvendum; quodque dictus Georgius modo magister & scolares de Baylolhalle predicta habebunt omnia arreragia dictorum xxvi solidorum & octo denariorum per annum a tempore dissolucionis dicti nuper prioratus hucusque eis debita, solvenda etiam per manus receptoris predicti; proviso semper quod si imposterum debito modo probatum fuerit coram Cancellario & consilio curie predicte pro tempore existentibus quod predictus Georgius Cotes modo magister & scolares de Baylolhalle predicta & successores sui dictum annualem redditum xxvi solidorum & octo denariorum sterlingorum imperpetuum racione & pretextu scripti predicti in forma predicta habere & gaudere non debeant quod tunc & deinceps hoc presens decretum vacuum sit ac nullius vigoris in lege, aliquo clauso siue articulo in presenti decreto contentis in contrarium inde non obstantibus. Nos autem tenorem decreti predicti duximus exemplificandum per presentes. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes. Teste Ricardo Ryche milite apud Westmonasterium vicesimo die Novembris anno regni nostri tricesimo quarto. Duke.

Irrotulatur coram me Willelmo Cavendyss' auditore domini regis ibidem.

V. HERT HALL. 248–60.

In the parish of St. John a tenement was owned by Balliol on the south side of Merton Street between Alban Hall on the west and Lomb Hall on the east; it was called Hert Hall or Hertheved Hall and bore this name as early as 1270, when a quit-rent of 4*s*. was acquired here by the Hospital of St. John. In the Hundred Rolls of 1279 it is stated to be worth 13*s*. 4*d*. a year beyond the outgoings; but in 1315, when an inquisition [1] was held to ascertain its value, it was declared to be worth only 10*s*.; in 1342 its value was 20*s*. (see no. 215). From 1497 it was leased to Merton as a garden, and was sold to Merton in 1804. It was 204 ft. from north to south (see no. 260) and did not reach as far as the Town Wall; in Loggan's Map of Oxford it can be recognized, and more clearly in the ground plan of St. Alban's Hall in Williams' *Oxonia Depicta*.

248.

[The will of John Binne.]

B. 7. 1
Dec. 3,
1303

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Ego Iohannes Binne de Oxonia condo testamentum meum in hunc modum die Martis proxima post festum sancti Andree apostoli anno domini MCCC tercio. In primis lego animam meam deo & beate Marie uirgini & omnibus sanctis dei & corpus meum ad sepeliendum in cimiterio beati Iohannis de Mertone in Oxonia. Item lego summo altari eiusdem loci ii s.; item duobus capellanis eiusdem loci xii d. pro equali porcione; item clerico eiusdem loci iiii d.; item lego in subsidium terre sancte v s.; item pro uno tricenali celebrando die sepulture mee ii s. vi d.; item cere & cilicio iiii s. vi d.; item pauperibus in pane die sepulture mee iiii s.; item in exspensis circa corpus meum v s.; item fratribus sancti Augustini v s.; item domine Emme Bodin monache xii d.; item Willelmo de Lambourne clerico vi d.; item lego Matildi uxori mee quicquid residuum fuerit de bonis meis parti mee contingentibus prius in testamento meo non legatis; ita quod debita mea agnoscat & persoluat. Preterea lego eidem Matildi uxori mee quamdiu uixerit totum tenementum meum cum pertinenciis quod situm est in parochia sancti Iohannis de Mertone, ita quod post desessum (*sic*) predicte Matildis do, lego ad uendendum & distribuendum pro anima mea & pro anima predicte Matildis & pro animabus patris mei & matris mee & pro animabus puerorum meorum & pro

[1] Inq. ad quod damnum, Portfolio 116, no. 6.

animabus omnium fidelium defunctorum secundum ordinacionem executorum meorum, videlicet ut in missis & in pannis ad opus pauperum & sotularibus ut melius uiderint anime nostre expedire. Huius testamenti mei executores facio, ordino & constituo dilectos michi in Cristo Gilbertum de Grimstede, Robertum de Drihulle & Matildem uxorem meam exsecutricem principalem. In cuius rei testimonium huic testamento sigillum meum apposui. Dat' Oxonie die & anno supradictis.

Probatum fuit istud testamentum coram Decano Oxonie XI Kal. Iunii anno domini MCCC quarto, et concessa fuit administracio bonorum defuncti executoribus in testamento nominatis, recepto prius ab eisdem sacramento de fideli administracione facienda, inuentario conficiendo & raciociniis reddendis cum super hoc fuerint requisiti.

Istud testamentum probatum fuit die Ueneris in crastino sancti Barnabe apostoli anno regni regis E. XXXII coram Roberto de Wormenhale tunc maiore Oxonie in plena curia Oxonie per testimonium Henrici le Taillour & Radulfi le Pestour testium ad hoc iuratorum & examinatorum; qui in omnibus articulis quesitis bene concordant; propter quod maior pronunciauit pro testamento isto bene & legitime probato. Et concessa est & adiudicata seisina de tenemento infranominato in forma infrascripta. In cuius probacionis testimonium predictus maior sigillum officii sui huic testamento apposuit.

At the foot 'Henr' le Taylour, Rad' le baker, Nicholaus ? Orrecere, Ioh' of Leck', Ric' of Grenstede; Ric' de Burnham scripsit ista nomina'.[1]

249.

[The tenement of John de Binne is sold to Walter de Fodringeye for 30 marks.]

Sciant presentes & futuri quod nos Matildis dicta de Binne Oxonie & Gilbertus de Grenestede & Robertus de Drihille executores testamenti dicti Iohannis de Binne pro nobis & heredibus ac assignatis nostris dedimus, concessimus et hac presenti carta nostra confirmauimus magistro Waltero de Fodringeye canonico Lincolniensi et heredibus suis ac assignatis quibuscumque totum illud tenementum cum domibus & omnibus aliis pertinenciis quod fuit dicti Iohannis de Binne in

B. 7. 2
Aug. 25
1310

[1] With three green seals; on the right circular, ox facing the right, SIGVLLVM MAIORATVS OXON; in the middle the seal of the deanery, broken; on the left circular, ¾ in., a pelican in piety, S' IOHANNIS BINNE.

parochia sancti Iohannis de Mertone iacens inter aulam que dicitur sancti Albani ex parte una & aulam que dicitur le Lombhalle ex parte altera; habendum & tenendum dictum tenementum integre cum domibus, curtilagio et omnibus aliis pertinenciis dicto magistro Waltero et heredibus suis ac assignatis quibuscumque de capitalibus dominis feodi illius in perpetuum, faciendo eis inde seruicia debita et consueta; ita quod nec ego dicta Matildis racione alicuius iuris uel possessionis michi nomine meo in dicto tenemento ex testamento vel dono quocumque eiusdem Iohannis competentis, nec nos eadem Matildis et Gilbertus ac Robertus executores prenominati nomine executorio aliquid iuris, possessionis vel clamei cuiuscumque exnunc in dicto tenemento in perpetuum uendicare possimus. Et ego prefata Matildis tam nomine meo proprio quam ego ipsa et dicti Gilbertus et Robertus executores predicti nomine executorio quantum ad nos pertinet dictum tenementum cum omnibus suis pertinenciis prelibatis prefato magistro Waltero et heredibus suis ac assignatis quibuscumque warantizabimus, acquietabimus, et defendemus in perpetuum. Pro hac autem donacione, concessione et presentis carte nostre confirmatione ac warantizatione dedit nobis prefatus magister Walterus triginta marcas sterlingorum pre manibus. Ut ergo omnia predicta firma et stabilia sine dolo permaneant inperpetuum presentem cartam sigillorum nostrorum impressione roborauimus die Martis proxima post festum sancti Bartholomei apostoli anno domini MCCC decimo; et ad maiorem huius rei securitatem sigillum decani Oxonie procurauimus presenti carte apponi. In cuius eciam presencia ego prefata Matildis corporale prestiti sacramentum quod nunquam in dicto tenemento aliquid iuris vel possessionis per me petam vel nomine meo quacumque racione vel occasione per alium peti permittam. Hiis testibus, Iohanne de Dokelintone tunc maiore Oxonie et Ricardo de Berkele et Willelmo le Katour tunc balliuis eiusdem, Ricardo le Spicer, Roberto de Wrmenhale, Iohanne de Colsilhille, Thoma le Mareschall, Henrico de Lenne, Willelmo de Burcestre, Willelmo Pennard & multis aliis.[1]

250.

[Matilda de Binne quitclaims the tenement.]

B. 7. 3
Aug. 27, 1310

Nouerint universi hoc scriptum visuri uel audituri quod ego Matildis dicta de Binne relicta quondam Iohannis de Binne Oxonie pro me

[1] Once with four seals; there remains on the left a white seal pointed oval, $1\frac{1}{4}$ in. by 1 in., a fleur-de-lis, S' MATILDIS DE BINNE.

& heredibus meis ac assignatis quibuscumque dedi, concessi et omnino quietum clamaui in perpetuum magistro Waltero de Fodringeye, canonico Lincolniensi et heredibus suis ac assignatis quibuscumque totum ius et clameum quod habui uel habere potui usque ad terminum vite mee in toto illo tenemento cum omnibus suis pertinenciis quod habui ex dono uel testamento dicti Iohannis; quod quidem tenementum iacet in parochia sancti Iohannis de Mertone Oxonie inter tenementum quod uocatur le Lombhalle ex parte una et tenementum quod uocatur sancti Albani ex parte altera; ita quod nec ego per me nec alius quicumque nomine meo possim nec possit in prefato tenemento cum suis pertinenciis quacumque racione vel occasione aliquid iuris vel possessionis seu clamei cuiuscumque ex nunc in perpetuum vendicare. In cuius rei testimonium sigillum meum presenti scripto apposui die Iouis proxima post festum sancti Bartholomei apostoli, anno domini millesimo trecentesimo decimo, et ad maiorem huius rei securitatem sigillum decani Oxonie presenti scripto procuravi apponi. In cuius quidem decani presencia ad omnia premissa fideliter obseruanda tactis sacrosanctis ewangeliis corporale prestiti iuramentum. Et ego Robertus de Blebyry[1] tunc decanus Oxonie presenti scripto sigillum decanatus apposui in testimonium premissorum. Dat' & act' Oxonie die et anno supradictis.[2]

251.

[Robert de Ford quitclaims.]

B. 7. 4 Aug. 12, 1314

Sciant presentes & futuri quod ego Robertus de Forde concessi, relaxaui, & quietum clamaui litterarum presencium per tenorem discreto uiro magistro Waltero de Fodryngeye clerico & suis heredibus necnon & assignatis quibuscumque totum ius & clamium ac exaccionem qualemcumque quod uel quam habui uel habeo seu habere potero racione & occasione Matildis dicte Bynne in Oxonia cui aliquando extiti matrimonialiter copulatus in tenemento cum omnibus suis pertinenciis quod idem magister Walterus habet in uico sancti Iohannis de Mertone in Oxonia ex vendicione dicte Matildis pro se, racione iuris quod eadem Matildis habuit in eodem tenemento ad terminum uite sue, et ex vendicione eiusdem Matildis & Gilberti de Grenstede ac Roberti de Dryhulle executorum testamenti quondam Iohannis Bynne prioris mariti eiusdem Matildis, ita uidelicet quod nec ego nomine meo nec nomine Matildis

Sciant presentes & futuri quod ego Stephanus de Braywell de Oxonia dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Thome Scharpe unum mesuagium cum gardino situatum in parochia sancti Egidii in hundredo extra portam borialem Oxonie inter tenementum Thome Hawylle ex parte australi & tenementum abbatisse & conuentus de Godstow ex parte boriali, unam dimidiam acram terre arabilis inter terram collegii sancte Marie Wynton' Oxonie ex parte australi & terram capelle beate Marie uirginis in ecclesia sancti Egidii predicti ex parte boriali, tres rodas iacentes iuxta altam uiam ultra Bemonde inter terram Nicholai Smythfeld ex parte australi & terram Willelmi Dagvylle ex parte boriali, aliam rodam inter terram Iohanne Essebery uidue ex parte australi & terram dicti Willelmi ex parte boriali & extendunt se a dicta via regia ab occidente versus Merstone ex parte orientali & unam dimidiam acram prati in Bysshopeseyte per sortem; habenda & tenenda prefato Thome, heredibus & assignatis suis imperpetuum de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta. Et ego [&c. sealing]; hiis testibus, Iohanne Baylimason, ballivo dicti hundredi, Willelmo Dagville, Willelmo Person, Thoma Hawylle, Iohanne Iune, Matheo Coke, Roberto Holte & multis aliis. Dat' Oxonie vicesimo die Novembris anno regni regis Henrici sexti post conquestum tricesimo quarto.

485.

[Thomas Scharpe grants a messuage to trustees.]

A. 2. 22
May 21,
1456

Sciant presentes & futuri quod ego Thomas Scharpe dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Roberto Thwates, Ricardo Luke, Thome Wythyngtone, Iohanni Barkar, & Roberto Abdy clericis unum mesuagium [&c. as in no. 484]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne Baylimasone, balliuo dicti hundredi, Willelmo Dagvylle, Willelmo Person, Thoma Hawylle, Iohanne Ionne & multis aliis. Dat' in predicto hundredo vicesimo primo die Maii anno regni regis Henrici sexti post conquestum tricesimo quarto.

486.

[The trustees grant the messuage to John Warkeworth.]

A. 2. 21
Dec. 10,
1456

Sciant presentes & futuri quod nos Robertus Thwates, Ricardus Luke, Thomas Worthyngtone, Iohannes Barker & Robertus Abdy de Oxonia dimisimus, feoffauimus et hac presenti carta nostra confirmauimus Iohanni Warkeworth de Oxonia unum mesuagium cum gardino situatum in parochia sancti Egidii [&c. as in no. 484]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Ricardo Wythyke de Oxonia, Ricardo Spragote, Ricardo Swetloue, Willelmo Largg bedello, Willelmo Gentylman & aliis. Dat' decimo die Decembris anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo quinto.

487.

[John Warkeworth grants the messuage to Balliol.]

A. 2. 20
Apr. 8,
1456

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes Warkeworthe de Oxonia dimisi, feoffaui et hac presenti carta mea confirmaui magistro & scolaribus domus aule siue collegii de Balliolo in suburbiis (*sic*) extra portam borialem Oxonie, et successoribus suis unum mesuagium cum gardino [&c. as in no. 484]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Ricardo Spragot de Oxonia, Willelmo Dagvylle, Benedicto Stokys, Willelmo Gryffyth & Iohanne Pagge et aliis. Dat' octauo die Aprilis anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo [quinto].[1]

[1] The MS. has 'quarto'; but the sequence of the charters demands 'quinto'.

488.

Oct. 31, 37 Eliz. [1595]; a lease to Ann Floyd, widow, of a house in St. Giles's parish, a tenement in the tenure of John Teaswell being N., a tenement in the possession of Richard Moxly S., with $1\frac{1}{2}$ acres of arable land in St. Giles's field and $\frac{1}{2}$ acre of meadow in Burgess mead; 40 years; rent 5*s.* 4*d.*, being two-thirds of the old rent of 8*s.*, & 3 bushels of malt, 1 bushel of wheat. **A. 3. 20 and 21**

489.

Mar. 22, $162\frac{7}{8}$, 3 Car. I; a lease to Jane Hare, widow; Francis Munday is tenant on the N., Jane Hare 'possessor' on the S.; 40 years; same rent. **A. 3. 22 and 23**

490.

July 22, 1650; a lease to Elizabeth Blake, daughter of William Blake, husbandman; Lawrence Williar tenant on N., one Ridley possessor on the S.; the half acre of meadow is 'commonly known to be in the first lott of the Katherine Wheeles marke there'; 40 years; same rent. **A. 3. 24 and 25**

491.

July 22, 1650; bond of William Blake that his daughter will observe the terms of the lease. **A. 3. 26**

492.

Mar. 18, 26 Car. II, $167\frac{3}{4}$; a lease to John Paine, boatmaker; bounds as in 1650; 21 years; same rent. **A. 3. 27 and 28**

493.

July 7, 33 Car. I, 1681; a lease to Jane Taylor, widow; bounds as in 1650; 21 years; same rent. **A. 3. 29**

494.

Mar. 23, 4 Will. & Mary, $169\frac{1}{2}$; a lease to John Mathews, wheelwright; Samuel Williar tenant on N., John Wellar 'possessor' on S.; 21 years; same rent. **A. 3. 30**

495.

A. 3. 32 and 33 — Nov. 27, 11 Will. & Mary, 1699; his lease is renewed; same bounds; 21 years; same rent.

496.

A. 3. 34 and 35 — Ap. 28, 6 Ann, 1707; his lease is renewed; same bounds; 21 years; same rent.

497.

A. 3. 36 and 37 — Mar. 25, 6 Geo. I, 1720; a lease to Richard Mathews; the house is now converted into two tenements; late Samuel Williar tenant on N., late John Bolt, printer, possessor on S.; 21 years; same rent.

498.

A. 1. 51 and 52 — Mar. 25, 1729; a lease to Richard Mathews of a tenement in St. Giles's now converted into two tenements; late Samuel Williar N., John Bolt, printer, S., with 1½ acres of arable land and ½ acre meadow in Burgess Mead 'commonly known to be in the first mark of the Catharine Wheel's mark there'; for 21 years; rent 5*s.* 4*d.* and 3 bushels of malt and 1 bushel of wheat.

499.

A. 1. 53 — Mar. 25, 1740; a lease to Thomas Rowney Esq.; the same bounds; 21 years; same rent.

500.

A. 1. 54 — Mar. 25, 1747; his lease is renewed; 21 years; same rent.

501.

A. 1. 55 and 56 — June 18, 1754; a lease to Richard Chillingworth, yeoman; bounds as before; 21 years; same rent.

502.

A. 1. 57 and 58 — Aug. 8, 1761; a lease to Mary Chillingworth, widow; 21 years; same rent.

503.

June 23, 1769; her lease is renewed; 21 years; same rent. A. 1. 59

504.

July 18, 1783; her lease is renewed; same neighbours; 21 years; same rent. A. 1. 60

505.

Feb. 18, 1794; a lease to Richard Chillingworth of Marston, yeoman, of a house, now two tenements, measuring 82 ft. 7 in. E. and W., 41 ft. 6 in. at W. end, 34 ft. E. end, bounded as before, with 2 acres as before; 21 years; rent as before. A. 1. 61

506.

Feb. 28, 1795; a lease to John Ward, yeoman, of a house, now two tenements, described as in no. 505 but without the two acres; 40 years; rent 20*s.* and 2*s.* for acquittances. A. 1. 73

The counterpart of no. 506 (with a plan). A. 1. 74

507.

Feb. 6, 1809; a lease to Richard Hopkins of Marcham, gent.; bounded as before; 40 years; same rent. A. 1. 75 and 76

508.

July 16, 1823; John Allam surrenders his lease for the benefit of Sarah Parsons. A. 1. 77

509.

Oct. 31, 1823; a lease to Sarah Parsons, widow, for a fine of £69; it is two tenements in front occupied by Thomas Giles and Henry Hillier, and six newly erected tenements behind, between William Eaton Burrows N. and Thomas Austin S.; 40 years; same rent. A. 1. 78 and 79

510.

May 2, 1837; a lease to William Bridgewater, broker, for a fine of £97 16*s.*; Daniel Evans is S.; 40 years; same rent. A. 1. 80 and 81

511.

A. 1. 82 June 25, 1851; his lease is renewed; fine £144; it is now one tenement and shop in front and three tenements behind, but the measurements are the same; Mr. Johnson is N. and Mr. Lynn S.

512.

A. 1. 63 (*Missing*) A lease of the Rope Walk by itself to Richard Chillingworth, 1794.

513.

A. 1. 64 and 65 June 7, 1805; a lease to Richard Chillingworth of St. Giles's, yeoman, of parcels of land in the common fields with houses built thereon, viz. one land in Little Field nearly opposite to the tower of St. Giles's church, and two tenements lately built on the E. end thereof, in the occupations of John Cleaver and — Brown, a tenement of John Polley N., S. another tenement in the occupation of Gilbert Godfrey, being 40 ft. 6 in. broad at E. end and measures 652 ft. 8 in. E. to W., and also two messuages lately erected at the W. end of the land, in the occupation of Robert Farmer and Edmund Braithwaite, being 22 ft. 3 in. N. to S., having John Polley N. and Thomas Goddard S.; also a yard of arable land in the middle of Great Field next but one to the Baulk or old Gravel Pit on the south side of it, having Mrs. Trollope's land N. and the Duke of Marlborough's land S., and three yards of arable lying in one ridge in the southern part of Great Field, having land of the Duke of Marlborough N. and land of Mrs. Trollope S., and one land in Burgess Mead in the first lot of the Catherine Wheel's mark; to hold from Oct. 10, 1801, for 21 years; rent 20*s.*, and also 2*s.* for every receipt.

514.

A. 1. 66 and 67 Mar. 23, 1809; his lease is renewed; same bounds; 40 years from Oct. 10, 1808; rent £2, and 1*s.* at each half year's receipt.

515.

A. 1 68 and 69 May 16, 1823; his lease is renewed; same bounds; 40 years from Oct. 10, 1822; same rent.

516.

May 2, 1837; a lease to Richard Chillingworth Godfrey, mealman, of Oxford, executor of the will of the late Richard Chillingworth, for £183 3*s.* 3*d.*, for 40 years from Michaelmas 1836; the two eastern tenements are occupied by the said Godfrey and Thomas Dyer grocer, bounded N. by Mrs. Hanwell, S. by James Paxton the elder; the tenements at the W. end are occupied by Messrs. Pettifer and Lambden, bounded N. by Hannah Pharaoh, S. by Thomas Goddard; but without the land in the open fields; rent as before. A. 1. 70 and 71

517.

June 14, 1851; his lease is renewed for a payment of £197 11*s.* 6*d.*; the eastern tenements are occupied by himself and Mr. Warland grocer, bounded by land of Univ. Coll. N. and S.; at west end the occupants are Messrs. Bryant and Wilson, bounded N. and S. by premises of Univ. Coll.; 40 years from Oct. 10, 1850; rent as before. A. 1. 72

518.

Mar. 25, 1861; Balliol leases to John Marsh 32 yards, Thomas Bowell 30 yards, William Cooke 59 yards of garden ground on the S. side of a pathway leading from Clarendon St. to Cocks Row.

519.

1861; The College leases to Messrs. Bowell and Wilson nos. 114 and 115 Clarendon St., Jericho.

520.

A valuation by Mr. Hudson, Oct. 21, 1836.

St. Giles's. Lessee Mr. Bridgewater: two front and three back tenements now laid into one, containing front shop and 12 rooms, small yard and back workshop, and three small tenements in the yard. Valued at £57. A. 3. 43

Mr. Godfrey; two front houses, one containing front shop, 2 sitting rooms, 4 bedrooms, underground kitchen, small garden. Valued at £35.

These premises have been lately rebuilt.

One front house adjoining the above containing front shop, 2 sitting rooms, 3 bedrooms, small yard, warehouse. Valued at £30.

A portion of the above held by Mr. Chillingworth, lying at the back and adjoining, consisting of two tenements facing Clarendon St., each containing 6 rooms, with a garden. Valued at £40.

These two tenements have been lately rebuilt.

3. A Tenement on the East side of St. Giles's, which did not come to Balliol. 521–35.

These charters deal with a tenement on the east side of St. Giles's Street towards the north end of the parish. It was on the north side of a tenement called Margaret Hall, as we learn by the help of the Godstow Cartulary, the rentals of St. John's Hospital, and the Hundred Rolls. In 1459 it was given to George Neville with two other tenements, which passed into the possession of Balliol, but there is no evidence that the College ever owned this tenement.

521.

[John de Weston grants a messuage to William de Barton.]

A. 2. 1
Apr. 29, 1304

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes de Westone capellanus dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Willelmo filio Roberti de Bartone Oxonie & Alicie de Seynebir' uxori sue totum illud mesuagium cum omnibus domibus superedificatis quod situm est in parochia sancti Egidii extra portam borialem Oxonie inter tenementum quod quondam fuit Willelmi Motte ex parte boriali & tenementum quondam Iohannis de Curtelingtone ex parte australi una cum dimidia acra terre arabilis adiacente retro curtilagium illius mesuagii & una acra & dimidia acra & una roda prati iacentibus per sortem in Byscopeseyte; habendum & tenendum dictum mesuagium cum predictis dimidia acra terre arabilis & una acra & dimidia acra & una roda prati cum omnibus suis pertinenciis predictis Willelmo & Alicie & heredibus suis uel suis assignatis de capitalibus dominis illius feodi per seruicia inde debita & de iure consueta in perpetuum. Et ego [&c. warranty]. Et ut [&c. sealing], hiis testibus, Willelmo de Erneby, Henrico le Peyntur, Nicholao Rodeplante, Willelmo de Bladone, Gilberto le Marchal, Roberto de Miltone, Iohanne le Water-

man & multis aliis. Dat' Oxonie die Mercurii proxima post festum sancti Marci ewangeliste, anno regni regis Edwardi filii regis Henrici tricesimo secundo.[1]

522.

[William de Barton grants a messuage to Richard de Merchstone.]

A. 2. 2 Nov. 30, 1314

Sciant presentes & futuri quod ego Willelmus de Bartone dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Ricardo de Merchstone coco Oseneye totum tenementum meum cum omnibus suis pertinenciis quod situm est in hundredo extra portam borialem Oxonie in parochia sancti Egidii inter tenementum Iohannis de Croxford ex parte boriali & tenementum quod fuit aliquando Walteri Bost ex parte australi; tenendum & habendum totum predictum tenementum cum omnibus suis ubique pertinenciis predicto Ricardo & suis heredibus & assignatis de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & consueta, libere, quiete, bene, integre & in pace in perpetuum. Et ego [&c. warranty]. Pro hac autem donacione [&c.] dedit michi dictus Ricardus quamdam summam pecunie pre manibus. Ut igitur [&c. sealing], hiis testibus, Willelmo de Burncestre tunc maiore Oxonie, Ricardo Cary & Iohanne de Byshopstone tunc balliuis eiusdem uille, Iohanne de Colushulle, Henrico de Lenne, Iohanne Stene, Iohanne de Croxford tunc balliuo hundredi extra portam borialem Oxonie, Henrico de Bramptone, Willelmo Meke, Ricardo Ouere, Willelmo de Bygenhulle, Iohanne le Quylter, Iohanne de Aston clerico & aliis. Dat' Oxonie die Sabbati in festo sancti Andree apostoli anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi octauo.[2]

523.

[Alice de Seynbury grants the messuage to Richard de Merchstone.]

A. 2. 3 May 1, 1315

Sciant presentes & futuri quod ego Alicia de Seynbury que fui uxor Willelmi de Bartone de Oxonia in mea viduitate & in ligia potestate mea dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Ricardo de Merschtone coco Oseneye totum illud tenementum meum

[1] Seal, pointed oval, brown, $1\frac{3}{8}$ in. × $\frac{3}{4}$, the Virgin and Child with a figure below in adoration. This deed shows that in Bishopseyt there were some strips of a quarter of an acre.

[2] *Endorsed*: Carta Willelmi de Bartone de Aula.

cum suis pertinenciis [&c. as in no. 521]. Et ego [&c. warranty]. Pro hac [&c. as in no. 521]. Ut igitur [&c. sealing]; hiis testibus, Iohanne de Dokelingtone tunc maiore Oxonie, Iohanne de Pershore, Andrea de Wormenhale tunc ballivis eiusdem uille, Willelmo de Hakeburne tunc balliuo in hundredo predicto, Henrico de Bramptone, Nicholao de Haylesdone, Thoma Bost, Roberto de Pyrie, Willelmo de Bladen, Iohanne le Waterman & aliis. Dat' Oxonie die Iouis in festo Ascensionis domini anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi decimo.[1]

524.

[William de Hellesfeld grants a tenement to John de Helmeseye.]

A. 2. 23
Oct. 26, 1351

Sciant presentes & futuri quod ego Willelmus de Hellesfeld dedi, concessi, & hac presenti carta mea confirmaui Iohanni de Helmeseye & Isabelle uxori eius unum tenementum cum uno curtilagio cum omnibus suis pertinenciis quod situm est in hundredo extra portam borialem Oxonie in parochia sancti Egidii inter tenementum quondam Nicholai de Croxford ex parte boriali & tenementum abbatisse de Goddestowe ex parte australi[2]; habendum & tenendum predicto I. & I. uxori eius, heredibus & assignatis ipsius Iohannis de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta libere, quiete, bene & in pace in perpetuum. Et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne Saucer seniore, Iohanne de Grettone, Willelmo de Addyngtone, Roberto Stampe, Ricardo Folke, & aliis. Dat' apud Oxoniam die Mercurii proxima ante festum Symonis & Iude, anno regni regis Edwardi tercii post conquestum vicesimo quinto.

525.

[John de Langrish grants the tenement to Richard de Oxenford.]

A. 2. 24
Mar. 20, 1370

Sciant presentes & futuri quod nos Iohannes de Langrysshe & Isabella uxor mea dedimus, concessimus, & hac presenti carta nostra

[1] Seal pointed oval, $1\frac{1}{4}$ in. × $\frac{3}{4}$, a cross formed of four ears of corn S' ALICIE DE BARTONE. Endorsed 'Vacat quia carta & non quietaclamatio, & alibi est bona quietaclamatio nomine predicte Alicie.' The quitclaim that is here mentioned does not exist now.

[2] In 1322 William of Burcester gave to Godstow a tenement next to the holding of Richard, the cook of Oseney (Godst. Cart. pp. 452 and 467; E.E.T. Soc.); but this Richard held the tenement mentioned in this charter; see no. 522.

confirmauimus Ricardo Doxenford & Sibille uxori sue unum mesuagium cum una shopa eidem mesuagio annexa & cum uno curtilagio adiacente situatum in hundredo extra portam borialem Oxonie in parochia sancti Egidii inter tenementum abbatisse & conuentus de Godestowe ex parte australi & tenementum nostrum ex parte boriali; habendum & tenendum predictis R. & S. & heredibus ac assignatis suis de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta imperpetuum. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Thoma Wormenhale, Iohanne Plomer, Willelmo de Whytewelle, Iohanne de Grettone, Ricardo de Adyntone & aliis. Dat' in hundredo predicto die Mercurii proxima post festum Annunciacionis beate Marie Virginis anno regni regis Edwardi tercii post conquestum quadragessimo quarto.

526.

[John de Langrish quitclaims to Richard de Oxenford.]

Nouerint uniuersi nos Iohannem Langrische & Isabellam uxorem meam remisisse, relaxasse & omnino pro nobis & heredibus nostris quietum clamasse Ricardo Doxenford & Sibille uxori sue totum ius & clamium nostrum quod habemus seu quouismodo habere poterimus in uno mesuagio cum una shopa eidem mesuagio annexa & cum curtilagio adiacente situato in hundredo extra portam borialem Oxonie in parochia sancti Egidii inter tenementum abbatisse & conuentus de Godestowe ex parte australi & tenementum Iohannis Facherel ex parte boriali; ita quod [&c.]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Ricardo de Adyngtone, Ricardo Fulke, Ricardo Bourghe, Willelmo Cheselhamtone, Roberto Deye, Reginaldo Westouere, Iohanne Grittone & aliis. Dat' in hundredo predicto die Veneris proxima post festum Annunciacionis beate Marie Virginis, anno regni regis Edwardi tercii post conquestum quadragesimo nono.

A. 2. 25
Mar. 30, 1375

527.

[Richard de Oxenford grants the tenement to John Buk.]

Sciant presentes & futuri quod nos Ricardus Doxenford & Sibilla uxor eius dedimus, concessimus & hac presenti carta nostra confirmauimus Iohanni Buk' & Iuliane uxori eius unum mesuagium cum shopa eidem mesuagio annexa & cum curtilagio adiacente situatum in suburbio extra portam borialem Oxonie in parochia sancti Egidii inter

A. 2. 26
Apr. 1, 1375

tenementum abbatisse & conuentus de Godestowe ex parte australi & tenementum quod quondam fuit Iohannis de Helmeseye ex parte boriali; habendum & tenendum predictis I. & I. & heredibus ac assignatis suis de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Ricardo de Adyngtone, Ricardo Fulke, Iohanne Facherel, Ricardo Bourghe, Reginaldo Westouere, Iohanne Grittone & aliis. Dat' in suburbio predicto die dominica proxima post festum Annunciacionis beate Marie virginis anno regni regis Edwardi tercii post conquestum quadragesimo nono.

528.

[Agnes le Peyntour quitclaims to John Buk.]

A. 2. 27
Feb. 18, 1380

Nouerint uniuersi me Agnetem filiam Iohannis le Peyntour de Oxonia ac relictam Iohannis de Bereford burgensis Oxonie in pura uiduitate mea & ligea potestate remisisse, relaxasse & omnino pro me & heredibus meis imperpetuum quietum clamasse Iohanni Buk' de Oxonia & Iuliane uxori sue & eorum heredibus ac eorum assignatis imperpetuum totum ius & clamium que habui, habeo, seu quouismodo habere potero in quodam mesuagio cum shopa eidem annexa & cum curtilagio adiacente & suis pertinenciis, situato in suburbio extra portam borialem Oxonie in parochia sancti Egidii inter tenementum abbatisse & conuentus de Godestowe ex parte australi & tenementum Iohannis Facherel quod quondam fuit Iohannis de Helmeseye ex parte boriali; ita uero quod [&c.]. In cuius [&c. sealing]. Et quia sigillum meum pluribus est incognitum, sigillum officii maioratus Oxonie hiis apponi procuraui; hiis testibus, Willelmo Codeshale tunc maiore uille Oxonie, Thoma Baret & Thoma Lardener tunc balliuis eiusdem ville, Iohanne Gibbes, Willelmo Northerne, Ricardo de Adyntone, Ricardo Fulke, Iohanne Facherel, Willelmo Cressale, Roberto Deye, Reginaldo Westouere & aliis. Dat' in suburbio predicto decimo octauo die Februarii, anno regni regis Ricardi secundi post conquestum Anglie tercio.

529.

[Isabella le Peyntour quitclaims to John Buk.]

A. 2. 28
Feb. 18, 1380

Nouerint uniuersi me Isabellam filiam Iohannis le Peyntour de Oxonia ac relictam Iohannis Langrisshe de eadem in pura viduitate mea & ligea potestate remisisse, relaxasse [&c. as in no. 528].

530.

[The will of John Bocke.]

In dei nomine Amen. Die Lune scilicet in festo sancte Fidis virginis anno domini millesimo cccmo octogesimo secundo ego Iohannes Bocke condo testamentum meum in hunc modum; in primis lego animam meam deo & beate Marie & omnibus sanctis eius, corpusque meum ad sepeliendum in cimiterio sancte Marie Magdalene; item lego Iohanni Lokeer' de Stokewellestrete unum linthiamen & unam iupam; item lego Laurencio Brygurdelmaker unum tabardum cum capicio eiusdem secte; item lego Thome Daton' unam iupam rubeam; item lego Waltero Faulere unam iupam cum capicio de secta burgenc*ium* anno elapso; item lego pauperibus scolaribus pro psalteriis dicendis pro salute anime mee x solidos; item lego vicario sancte Marie Magdalene iii s. iiii d.; item lego distribuendos pauperibus in die sepulture mee in pane & potu x s.; item lego pro missis celebrandis pro salute anime mee x s.; item lego fabrice ecclesie beate Marie Magdalene iii s.; item lego Alicie filie mee unum couerlet' cum duobus linthiaminibus; item lego dicte Alicie I pelvim cum lauac' & unam ollam eneam; item lego Egidio de Coueley iii s. iiii d.; item uolo quod Iuliana uxor mea habeat unam domum cum duobus schopis situatam inter tenementum Iohannis Rye (? Bye) ex parte australi & Iohannem Facherel ex parte boriali in parochia sancti Egidii in suburbiis Oxonie ad terminum vite sue libere & quod post mortem ipsius Iuliane domus huiusmodi cum suis pertinenciis vendatur & pecunia inde recepta in pios usus pro salute animarum nostrarum fideliter disponetur; item residuum omnium bonorum meorum lego Iuliane uxori mee ad faciendum & disponendum pro anima mea prout ei melius videbitur expedire. Et ad istud testamentum bene & fideliter exequendum ordino & constituo meos esse executores Iulianam uxorem meam & Willelmum Harper. In cuius rei testimonium huic testamento sigillum meum apposui; hiis testibus, Willelmo Wakeffeld, Iohanne Bekenesfeld, Willelmo Somnour, Ricardo Burure & aliis. A. 2. 29 Oct. 6, 1382

Endorsed. xxix die mensis Octobris anno domini infrascripto coram nobis officiali domini archidiaconi Oxonie probatum est presens testamentum ac pro eodem per nos legittime executoribus infrascriptis in forma iuris iuratis commissa est per nos administracio bonorum in bonis dicti defuncti. In cuius rei testimonium sigillum officii nostri presentibus apposuimus. Dat' ut supra. Oct. 29

531.

[Thomas Iffley and his wife grant a messuage to Alan Lekenesfeld.]

A. 2. 30
May 25, 1389

Sciant presentes & futuri quod nos Thomas Ziftele whyttawyer de Stockewelstrete & Iuliana uxor mea dedimus, concessimus, & hac presenti carta nostra confirmauimus Alano Lekenesfeld burgensi de Oxonia & Katerine uxori eius unum mesuagium cum duabus shopis eidem mesuagio annexis & cum curtilagio adiacente situatum in suburbio extra portam borialem Oxonie in parochia sancti Egidii inter tenementum abbatisse & conuentus de Godestowe ex parte australi & tenementum quod quondam fuit Iohannis de Helmesey ex parte boriali; habendum & tenendum predictis A. & K., heredibus & assignatis suis, de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta imperpetuum. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing]; hiis testibus, Ricardo Garstone tunc maiore ville Oxonie, Iohanne Forster & Bartholomeo Bysshope tunc balliuis eiusdem ville, Edmundo Kenyan, Petro de Welyngtone, Willelmo Ryuell', Ricardo alte celer', Ricardo Burghe, Iohanne Torry, Ricardo Fulke, Willelmo Hamptone & aliis. Dat' apud Oxoniam die Martis proxima ante festum Ascencionis domini anno regni regis Ricardi secundi post conquestum Anglie duodecimo.

Endorsed. Pro domo in parochia sancti Egidii ex parte occi*dentali* ecclesie.[1]

532.

[Isabella Croxford quitclaims to Alan Lekenesfeld.]

A. 2. 31
May 30, 1389

Nouerint uniuersi me Isabellam nuper relictam Nicholai Croxforde de Cudlyngton in pura viduitate mea & ligea potestate & Ricardum filium & heredem dicti Nicholai unanimi concensu & assensu remisisse, relaxasse & omnino pro nobis, heredibus & executoribus nostris quietum clamasse Alano Lekenesfeld burgensi de Oxonia & Katerine uxori sue & eorum heredibus ac eorum assignatis imperpetuum totum ius & clamium que habuimus, habemus seu quovismodo habere poterimus in quodam mesuagio [&c. as in no. 531 reading 'tenementum Iohannis Facherell quod quondam fuit Iohannis de Helmeseye ex parte boriali']. Hiis testibus, Ricardo Garstone tunc maiore Oxonie, Iohanne Forster

[1] If this endorsement is correct the house was not on the east side of the street, as we have suggested; but it is possible that 'orientali' was meant. The confusion of the two words is frequent.

& Bartholomeo Bysshope tunc ballivis eiusdem ville, Willelmo Dagvylle, Edmundo Kenyan, Petro de Welyngtone, Thoma Houkyn, Willelmo Ryuelle, Iohanne Torry, Ricardo Fulke, Willelmo Wheler, Iohanne Roper, Willelmo Hamptone & aliis. Dat' apud Oxoniam die dominica proxima post festum Ascencionis domini anno regni regis Ricardi secundi post conquestum Anglie duodecimo.

533.

[Richard Osberne grants to George Neville three tenements in Oxford.]

Sciant presentes & futuri quod ego Ricardus Osbern' de Hoo in comitatu Bedford' armiger dedi, concessi, & hac presenti carta mea confirmavi Georgio Neville episcopo Exon' tria tenementa mea in Oxonia cum suis pertinenciis unde unum tenementum situatur in parochia sancti Petri in Ballio Oxonie inter tenementum Andree Wemme ex parte occidentali & fundum Philippi Gurtone ex parte orientali; aliud tenementum de predictis tribus tenementis situatur in parochia sancte Ebbe in parvo Ballio inter tenementum prioris et conventus sancte Frideswyde ex parte australi & tenementum Thome Bartone ex parte boriali; & tercium tenementum de predictis tenementis situatum est in parochia sancti Egidii extra portam borialem Oxonie inter tenementum Mathei Cooke ex parte boriali & tenementum abbatisse et conventus de Godstowe ex parte australi[1]; habenda & tenenda cum omnibus eorum pertinenciis prefato Georgio, heredibus & assignatis suis imperpetuum de capitalibus dominis feodi illius per servicia inde debita et de iure consueta. Et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing]; hiis testibus, Roberto Attewode maiore ville Oxonie, Ricardo Spragot, Iohanne Clerk, Iohanne Suetlove, Henrico Philippes aldremannis, Thoma Havylle, Iohanne Smythe ballivis eiusdem ville, & aliis. Dat' Oxonie ultimo die Ianuarii anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo septimo.

A. 2. 45
Jan. 31, 1459

534.

[George Neville appoints attorneys to receive seisin of the three tenements.]

Nouerint uniuersi me Georgium Neville episcopum Exon' attornasse & loco meo constituisse dilectos michi Robertum Abdy clericum &

A. 3. 19
Jan. 31, 1459

[1] It may safely be assumed that this is the tenement described in the previous charter, because we learn from deed no. 287 that Richard Osberne was the successor of Alan Lekenesfield in Little Bailey.

Willelmum Kylbek armigerum ad capiendum vice & nomine meo de Ricardo Osberne armigero plenam possessionem & seisinam de & in tribus tenementis cum omnibus eorum ubique in Oxonia pertinenciis & in suburbiis eiusdem secundum vim, formam, tenorem & effectum carte eiusdem Ricardi Osberne michi inde confecte. In cuius [&c. sealing]. Dat' ultimo die Ianuarii anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo septimo.

535.

[William Ketyll and Roger Grandorge quitclaim to George Neville the lands which Richard Osberne had lately granted them.]

A. 3. 18
Feb. 2, 1459

Omnibus ad quos presens scriptum pervenerit Willelmus Ketyll clericus & Rogerus Grandorge gentilman salutem in domino. Noveritis nos remisisse, relaxasse & omnino pro nobis & heredibus nostris imperpetuum quietum clamasse Georgio Neville episcopo Exon' super sua pacifica possessione totum ius nostrum, titulum & clameum ac demandam que unquam habuimus, habemus seu quovismodo infuturum habere poterimus de & in omnibus terris & tenementis que nuper coniunctim habuimus ex dono & feoffamento Ricardi Osberne armigeri in Oxonia & in suburbiis eiusdem; ita quod nec nos [&c.]. In cuius [&c. sealing]. Dat' Oxonie secundo die Februarii anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo septimo.

XII. MISCELLANEOUS DEEDS. 536–63.

1. Miscellaneous Deeds which belonged to the family of Chiselhampton and passed into the possession of the College with other deeds of that family. 536–45.

536.

[John de Oxford gives to Adam de Chisilhamptone a messuage in the parish of St. Thomas.]

A. 3. 1
Sept. 21, 1349

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes de Oxonia ac civis & pelliparius London' dedi, concessi, & hac presenti carta mea confirmavi Ade de Chisilhamptone de Oxonia unum mesuagium cum pertinenciis

situatum in suburbio & hundredo extra portam borialem Oxonie in parochia sancti Thome inter tenementum quod dudum fuit Willelmi de Cnaresburghe iunioris ex parte orientali & tenementum quod fuit Iohannis de Peseye ex parte occidentali ; habendum & tenendum predicto A., heredibus ac assignatis suis de capitalibus dominis feodi illius per servicia inde debita & de iure consueta in perpetuum. Et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne Saucer, Willelmo Sturthup, Reginaldo de Westouere, Iohanne de Ayeho, Iohanne de Hemelsey, Iohanne de Gretton & aliis. Dat' in suburbio predicto die Lune in festo sancti Mathei apostoli anno regni regis Edwardi tercii post conquestum vicesimo tercio.

537.

[John le Waterman grants to Richard Geffrays half an acre in Bishopseyt Mead and half an acre in Walton field.]

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes le Waterman capellanus dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmavi Ricardo Geffrays caretario & Iohanne uxori sue in libero maritagio unam dimidiam acram prati iacentem per sortem in Bissopeseyt, et unam dimidiam acram terre arabilis iacentem in campo de Waltone versus viginti acras[1] inter terram Philippi de Oe ex parte australi & terram quam Robertus de Buckenhulle quondam tenuit ex parte boriali; habendas & tenendas prefatis R. & I. & heredibus inter eosdem legitime procreatis de capitalibus dominis feodi per servicia inde debita & consueta libere, quiete, bene & in pace in perpetuum. Et ego [&c. warranty]. Et si contingat quod predicta I. decedat vivente Ricardo, volo quod predictus Ricardus dictum pratum cum terra arabili & omnibus suis pertinenciis usque ad finem vite sue possideat. Item si contingat quod predicti R. & I. uxor sua sine herede legitimo procreato moriantur, volo quod predictum pratum cum terra arabili & omnibus suis pertinenciis ad heredes propinquiores de sanguine eiusdem Iohanne libere remaneant in perpetuum. Et ut [&c. sealing], hiis testibus, Thoma Bost, Iohanne de Walton, Iohanne le Waterman, Roberto de Beneseye, Roberto Marchal, Ricardo de Adyntone & aliis. A. 3. 2 [c. 1300]

[1] 'Twenty Acres' was the name of a holding in, or near, Walton which belonged to Oseney.

538.

[The proctors of the chantry of St. Mary in the church of St. Mary Magdalen lease to Adam de Chisilhamptone a strip of land in Walton field.]

A. 3. 3
1357

Hec indentura testatur quod nos Iohannes Saucer & Willelmus Tayllour procuratores cantarie misse beate Marie in ecclesia beate Marie Magdalene Oxonie, unanimi assensu & consensu vicarii & omnium parochianorum, concessimus, dimisimus & tradidimus Ade de Chisilhamptone & Isabelle uxori sue & Willelmo filio eorundem unam foreram terre arabilis iacentem in campo de Waltone & extendit in longitudine iuxta Wodestoke Wey ex parte orientali & terram abbatis de Oseneye ex parte occidentali; habendam & tenendam predictis A., I., & W. ad terminum vite eorundem, reddendo inde annuatim nobis & successoribus nostris duodecim denarios annui redditus ad festum sancti Michaelis archangeli; [if the rent is unpaid, the land may be taken back]. Et nos [&c. warranty]. In cuius rei testimonium hiis scriptis indentatis tam sigillum commune cantarie predicte quam sigilla ipsorum A., I. & W. hiis scriptis indentatis alternatim sunt appensa; hiis testibus, Henrico de Malmesbury, Reginaldo Westouere, Iohanne de Grettone, Iohanne de Hemelseye, & aliis. Dat' in hundredo extra portam borialem Oxonie anno regni regis Edwardi tercii post conquestum tricesimo primo.[1]

539.

[Richard vicar of the church of St. Mary Magdalen grants to Adam de Chiselhampton all that had been granted to him by the said Adam.]

A. 3. 5
Jan. 26,
1358

Sciant presentes & futuri quod ego Ricardus vicarius ecclesie beate Marie Magdalene extra portam borialem Oxonie dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmavi Ade de Chiselhamptone & Isabelle uxori eius omnia terras & tenementa que habui ex dono & feoffamento predicti Ade in comitatu Oxonie viz. in suburbio Oxonie, Wodestoke & Clayore[2]; habenda & tenenda predictis A. & I. ad totam vitam eorundem & utriusque eorum diucius viventis libere,

[1] With the seal of the parishioners as reproduced in *Collectanea*, vol. iii, plate 1 (Oxf. Hist. Soc.).

[2] Now Clare, a hamlet in the parish of Pyrton, Oxfordshire.

quiete, bene & in pace imperpetuum de capitalibus dominis feodi illius per servicia inde debita & de iure consueta. Et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Henrico de Malmesbury, Thoma de Buggeworthe, Iohanne ye Noble, Iohanne Plomer, Iohanne Sauser, & multis aliis. Dat' Oxonie die Veneris proxima ante festum Purificacionis anno regni regis Edwardi tercii post conquestum tricesimo secundo.

540.

[Robert Chopper and Juliana his wife grant to Adam de Chisilhampton and Isabella his wife half an acre of arable land in Twenty Acre and half an acre of meadow in Bishopseyt.]

Sciant presentes & futuri quod ego Robertus Choppere & Iuliana uxor mea dedimus, concessimus & hac presenti carta nostra confirmavimus Ade de Chisilhamptone & Isabelle uxori sue unam dimidiam acram terre arabilis iacentem in Twentiacre inter terram que fuit Willelmi Brunfeld ex parte boriali & terram que fuit Iohannis Goldsmyth ex parte australi & unam dimidiam acram prati iacentem in Bysshoppeseythe cum per sortem acciderit; habendas & tenendas predictis A. & I. & heredibus ac assignatis ipsius Ade de capitalibus dominis feodi illius per servicia inde debita & de iure consueta. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne de Grettone, Iohanne Saucer, Reginaldo Westouere, Iohanne de Hemelseye, Iohanne Plomer, Waltero Faulore et aliis. Dat' in hundredo extra portam borialem Oxonie die Lune proxima post festum Passche anno regni regis Edwardi tercii post conquestum tricesimo secundo.

A. 3. 4 April 2, 1358

541.

[Richard Dammori leases to William Chisilhampton arable land in Northam field.]

Noverint universi me Ricardum Dammori militem sub forma & condicione subscriptis concessisse, dimisisse & tradidisse Willelmo Chisilhamptone carnifici de Oxonia totam terram meam arabilem cum suis pertinenciis iacentem in hundredo extra portam borialem Oxonie in campo vocato Northham; habendam & tenendam prefato W. & heredibus suis ac suis assignatis a festo sancti Michaelis proximo

A. 3. 6 Sept. 8, 1371

futuro usque ad finem termini decem annorum, reddendo inde annuatim michi, heredibus aut assignatis meis quadraginta solidos bone & legalis monete ad duos anni terminos videlicet [Mar. 25, Sept. 29]. [If the rent is unpaid, the owner may take the land]. Et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing]; dat' apud Hedyndone octavo die Septembris anno regni regis Edwardi tercii post conquestum quadragesimo quinto.

542.

[Isabella de Chisilhampton grants to William her son all her goods and chattels.]

A. 3. 8
Jan. 10, 1378

Noverint universi me Isabellam relictam Ade de Chiselhampton de Oxonia dedisse & concessisse Willelmo de Chiselhamptone filio meo omnia bona & catalla mea mobilia & immobilia ubicumque fuerint inventa; ita quod nec ego nec aliquis nomine meo aliquid de bonis seu catallis predictis exigere vel vendicare poterimus in futurum. In cuius [&c. sealing]; hiis testibus, Ricardo de Adyntone, Thoma Houkyn, Iohanne Grettone, Reginaldo Westouere, Roberto Deye, Iohanne Grom, Iohanne Noble, Michaele Smyth & aliis. Dat' in suburbio extra portam borialem Oxonie decimo die Ianuarii anno regni regis Ricardi secundi post conquestum Anglie primo.

543.

[Isabella de Chisilhampton quitclaims to William her son all her lands in Northgate Hundred.]

A. 3. 7
Jan. 28, 1378

Noverint universi me Isabellam relictam Ade de Chiselhamptone de Oxonia in pura viduitate mea & ligea potestate remisisse, relaxasse & omnino pro me & heredibus meis imperpetuum quietum clamasse Willelmo de Chiselhamptone filio meo & heredibus ac assignatis suis imperpetuum totum ius & clamium que habui, habeo seu quovismodo habere potero in omnibus illis terris, tenementis, redditibus, pratis, pascuis, pasturis, serviciis & omnibus aliis pertinenciis in hundredo extra portam borialem Oxonie ac in villis de Wodestoke & Cleyore, que quondam fuerunt predicti Ade mariti mei; ita quod nec ego [&c.]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Ricardo de Adyntone, Thoma Houkyn, Iohanne Grettone, Reginaldo Westovere, Roberto Deye, Iohanne Grom, Iohanne Noble, Michaele Smyth & aliis. Dat' in suburbio predicto, vicesimo octavo die Ianuarii anno regni regis Ricardi secundi post conquestum Anglie primo.

544.

[John Dieghere quitclaims all demands against the executors of Adam de Chisilhampton.]

Noverint universi nos Iohannem Dieghere de Sloutere & Emmam uxorem meam remisisse, relaxasse & omnino pro nobis & heredibus nostris imperpetuum quietum clamasse Isabelle que fuit uxor Ade de Cheselhamptone & Willelmo filio predictorum Ade & Isabelle executorum testamenti predicti Ade omnimodas acciones reales personales querelas & demandas quascumque habuimus seu habere poterimus erga eosdem occasione alicuius convencionis, transgressionis aut debiti a principio mundi usque ad diem confeccionis presencium quovismodo inter nos perpetratorum seu initorum. In cuius [&c. sealing]; hiis testibus, Iohanne Grittone, Ricardo Adyngtone, Roberto Deye & Reginaldo Westovere & aliis. Dat' [*sic*]. A. 3. 9 c. 1378

545.

[John Chisilhampton grants all his goods and chattels to Robert Chisilhampton.]

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes Chisilhamtone[1] custos domus & capelle beate Katerine de Wamberghe Saresbiriensis diocesis dedi, concessi & confirmavi per presentes Roberto Chiselhamtone cognato meo & domino Ricardo Cole capellano omnia bona & catalla mea ubicumque existencia; habenda & tenenda eis & eorum utrique & eorum assignatis, & ad ordinandum & disponendum de dictis bonis & catallis plene & libere, quiete & in pace, sicut eis placuerit vel visum fuerit eisdem expedire sine reclamatione mea vel alicuius alterius persone in perpetuum. In cuius rei testimonium sigillum meum presentibus apposui. Datum apud Wamberghe die Sabbati proxima post festum sancti Gregorii pape anno domini MCCCC tercio, et regni regis Henrici quarti post conquestum anno quinto.[2] A. 3. 11 Mar. 15, 1404

[1] For this John Chisilhamtone see no. 41.

[2] An endorsement of Wood states that this concerned the Katharine Wheel, but it is not so.

2. Miscellaneous Deeds about Lands in Northgate Hundred which belonged to Stephen Braywell. 546–55.

546.

[Stephen Braywell grants to trustees all his property in Northgate Hundred.]

A. 2. 32
June 22, 1417

Sciant presentes & futuri quod nos Stephanus Braywell & Iuliana uxor mea dedimus, concessimus & hac presenti carta nostra confirmauimus magistris Thome Benyngworth, Ricardo Cordon archidiacono Roffensi, Willelmo Hamortone, Willelmo Rasshe, Willelmo Bourde et magistro Willelmo Kelemarsshe totum statum nostrum quem habemus in omnibus terris, tenementis, redditibus et seruiciis cum pertinenciis suis que habemus in hundredo extra portam borialem Oxonie; habendum & tenendum prefatis T., R., W., W., W., et W., heredibus et assignatis suis in perpetuum de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Waltero Daundeseye maiore ville Oxonie, Willelmo Huchons, et Iohanne North ballivis eiusdem ville, Gilberto Burtone senescallo hundredi predicti, Iohanne Whatteley, Iohanne Hunche, Iohanne Stayntone, Iohanne Skennesbye, Roberto Sprunt, Iohanne Lillistone, Michaele Norton clerico et aliis. Dat' in hundredo siue suburbio predicto die Martis proxima ante festum Nativitatis sancti Iohannis Baptiste anno regni regis Henrici quinti post conquestum Anglie quinto.

547.

[Stephen Braywell grants the same property to other trustees.]

A. 2. 33
June 22, 1417

Sciant presentes & futuri quod nos Stephanus Braywell & Iuliana uxor mea dedimus, concessimus & hac presenti carta nostra confirmauimus Michaeli Iamays clerico, domino Roberto Louersalle capellano, Willelmo Offord, Ricardo Rocke & Waltero Asshebury omnia terras & tenementa nostra redditus & seruicia que habemus in suburbio siue in hundredo extra portam borialem Oxonie cum pratis, pascuis, pasturis & omnibus aliis pertinenciis suis; habenda & tenenda prefatis M., R., W., R., & W., heredibus & assignatis suis imperpetuum

libere, integre & in pace de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing; witnesses and date as in no. 546].

A duplicate of no. 547. It is endorsed 'Parochia Mag.' A. 2. 34

548.

[The trustees enfeoff Stephen Braywell in the property they had received from him.]

Sciant presentes & futuri quod nos Michael Iamays clericus, dominus Robertus Louersalle capellanus, Willelmus Offord, Ricardus Rocke & Walterus Asshebury dimisimus, feoffauimus & hac presenti carta nostra confirmauimus Stephano Braywelle & Iuliane uxori sue totum illum statum nostrum quem habemus in omnibus terris & tenementis, redditibus & seruiciis cum pertinenciis suis que habemus in hundredo siue suburbio extra portam borialem ville Oxonie, et quem statum nuper habuimus ex dono & feoffamento predicti Stephani & Iuliane; habendum & tenendum prefatis S. & I., heredibus et assignatis suis imperpetuum de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Thoma Couentre maiore ville Oxonie, Iohanne Brademere & Iohanne Quaram ballivis dicte ville, Gilberto Burton, Iohanne Whateley, Iohanne Teyntone, Iohanne Skennesby, Iohanne Hunche, Michaele Norton clerico & aliis. Dat' in hundredo predicto quarto die Novembris anno regni regis Henrici quinti post conquestum septimo. A. 2. 35 Nov. 4, 1419

A duplicate of no. 548. A. 2. 36

549.

[Stephen Braywell grants to Hammertone and Loversalle all his property in Northgate Hundred.]

Sciant presentes & futuri quod nos Stephanus Braywell & Iuliana uxor mea dedimus, concessimus, & hac presenti carta nostra confirmauimus Willelmo Hammertone & Roberto Louersalle clericis omnia illa terras & tenementa nostra, redditus & seruicia que habemus in hundredo extra portam borialem Oxonie, cum pratis, pascuis & pasturis & cum omnibus aliis pertinenciis; habenda & tenenda prefatis W. & R., heredibus & assignatis suis libere, integre & in pace in A. 2. 37 Oct. 12, 1424

perpetuum de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Willelmo Offord maiore ville Oxonie, Waltero Daundesey, Thoma Gibbes, Willelmo Bramptone, Thoma Couentre aldremannis, Willelmo Astone, Willelmo Somerset ballivis dicte ville, Iohanne Hawylle, Iohanne Teyntone & aliis multis. Dat' in hundredo predicto duodecimo die Octobris anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tercio.

550.

[Hammertone and Loversalle grant the same property to Nevelle, Thwates, Rede and Abdy.]

A. 2. 38
Oct. 8, 1450

Sciant presentes & futuri quod nos Willelmus Hammertone & Robertus Louersalle clerici dimisimus & hac presenti carta nostra confirmauimus Georgio Nevelle, Roberto Thwates, Willelmo Rede clericis & Roberto Abdy omnia terras & tenementa in suburbio extra portam borialem Oxonie cum pratis, pascuis, pasturis & omnibus suis pertinenciis que nuper habuimus ex dono & feoffamento Stephani Braywell & Iuliane uxoris sue ; habenda & tenenda prefatis G., R., W., & R., heredibus & assignatis suis libere, integre, & in pace in perpetuum de capitalibus domini feod*i* ill*ius* per seruicia inde debita & de iure consueta. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Iohanne Fitz Aleyn maiore Oxon', Roberto Walford, Thoma Withyg, Ricardo Spragot, Roberto Attewode aldremannis, Iohanne Asshebury & Iohanne Cleve ballivis dicte ville, Thoma Hawille, Iohanne Blakthorne & multis aliis. Dat' in suburbio predicto octavo die Octobris anno regni regis Henrici sexti post conquestum vicesimo nono.

551.

[Stephen Braywell quitclaims his property to the same four.]

A. 2. 39
Feb. 26, 1455

Omnibus Cristi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Stephanus Braywell salutem in domino. Noueritis me predictum Stephanum remisisse, relaxasse, & omnino pro me, heredibus & executoribus meis imperpetuum quietum clamasse Georgio Neville, Roberto Thwates, Willelmo Rede & Roberto Abdy clericis in plena possessione existentibus totum ius meum, titulum & clameum que unquam habui, habeo, seu quouismodo habere potero de & in omnibus illis terris &

tenementis in suburbio extra portam borialem Oxonie cum pratis, pascuis & pasturis & omnibus suis pertinenciis que nuper habuerunt ex dono & feoffamento Willelmi Hammertone & Roberti Louersalle clerici iam defunct*i* feoffator*um* mei predicti Stephani, prout in quadam carta feoffamenti prefatis G., R., W., & R. inde confecta plenius continetur; ita quod nec ego [&c.]. Et ego vero [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Roberto Attewode maiore Oxonie, Thoma Withyg, Ricardo Spragot, Iohanne Clerk, Iohanne Swetlove aldremannis, Iohanne Dobbys, Georgio Skydmore ballivis eiusdem ville & Thoma Tanfelde clerico dicte ville cum multis aliis. Dat' Oxonie vicesimo sexto die Februarii anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo tercio.

552.

[Neville, Thwates, Rede and Abdy grant the property to Braywell for the term of his life.]

Sciant presentes & futuri quod nos Georgius Neville, Robertus Thwates, Willelmus Rede clerici & Robertus Abdy dedimus, concessimus & hac presenti carta nostra indentata confirmavimus Stephano Braywelle omnia illa terras & tenementa in suburbio extra portam borialem Oxonie cum prato, pascuis & pasturis ac omnibus suis pertinenciis que nuper habuimus ex dono & feoffamento Willelmi Hammertone & Roberti Louersalle clerici iam defuncti prout in quadam carta inde nobis confecta plenius continetur; habenda & tenenda prefato S. ad terminum vite sue de capitalibus dominis feodi illius per servicia inde debita & de iure consueta; et post decessum predicti Stephani tunc nobis prefatis G., R., W., & R., heredibus & assignatis nostris in perpetuum integre revertantur. Et nos [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Roberto Attewode maiore ville Oxon', Thoma Withyg, Ricardo Spragot, Iohanne Clerke & Iohanne Swetlove aldremannis, Iohanne Dobbys & Georgio Skydmore ballivis dicte ville, & multis aliis. Dat' Oxonie vicesimo septimo die Februarii anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo tercio.

A. 2. 40
Feb. 27, 1455

553.

[The same four enfeoff John Warkeworth in the property.]

Sciant presentes & futuri quod nos Georgius Nevelle, Robertus Thwates, Willelmus Rede & Robertus Abdy de Oxonia dimisimus,

A. 2. 41
Apr. 2, 1456

feoffavimus & hac presenti carta nostra confirmavimus Iohanni Warkeworth de Oxonia omnia illa terras & tenementa in suburbio extra portam borialem Oxonie cum prato, pascuis, pasturis & omnibus suis pertinenciis que nuper habuimus ex dono & feoffamento Willelmi Hammerton & Roberto Louersalle; habenda & tenenda prefato I., heredibus et assignatis suis libere & in pace de capitalibus dominis feodi illius per servicia inde debita & de iure consueta. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Roberto Atwode, Iohanne Clerke, Iohanne Harreys bedello, Roberto Jeffray, Iohanne Pagg' de Oxon' et aliis. Dat' secundo die Aprilis anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo quarto.

Endorsed. 'Paroch' Magd' Oxon.'

554.

[The same four quitclaim the property to Balliol.]

A. 2. 42
Apr. 10, 1456

Omnibus Cristi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Georgius Nevelle, Robertus Thwates, Willelmus Rede & Robertus Abdy de Oxonia salutem. Noveritis nos predictos G., R., W., & R. remisisse, relaxasse et omnino pro nobis et heredibus nostris et executoribus nostris quietum clamasse magistro et scolaribus domus aule sive collegii de Balliolo in suburbiis extra portam borialem Oxonie totum ius, clameum et titulum nostrum que umquam habuimus, habemus seu in futurum habere poterimus de et in omnibus illis terris et tenementis cum pertinenciis in suburbio extra portam borealem Oxonie, cum pratis, pascuis, pasturis & omnibus aliis pertinenciis suis que nuper habuerunt ex dono et feoffamento Iohannis Warkeworth de Oxonia; ita quod nec nos [&c.]; et nos [&c. warranty]; in cuius [&c. sealing], hiis testibus, Ricardo Spragote, Roberto Atwoode, Benedicto Stookys bidello, Willelmo Kyllebeke bidello & Roberto Jeffray, Thoma Havelle de Oxonia et aliis. Dat' decimo die Aprilis anno regni regis Henrici sexti post conquestum tricesimo quarto.

555.

[John Warkeworth enfeoffs Balliol in the same property.]

A. 2. 43
Dec. 20, 1456

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes Warkeworthe de Oxonia dimisi, feoffavi et hac presenti carta mea confirmavi magistro et scolaribus domus aule sive collegii de Balliolo et successoribus suis

in suburbiis extra portam borialem Oxonie omnia illa terras et tenementa in suburbio predicto cum pratis, pascuis, pasturis, & omnibus aliis pertinenciis suis, que nuper habui ex dono et feoffamento Georgii Nevelle, Roberti Thwates, Willelmi Rede et Roberti Abdy de Oxonia; habenda et tenenda prefato magistro et scolaribus et successoribus suis imperpetuum de capitalibus dominis feodi illius per servicia inde debita et de iure consueta. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Ricardo Swetlove de Oxonia, Ricardo Wythike, Ricardo Spragot, Willelmo Largg' bedello et Willelmo Gentylman et aliis de Oxonia. Dat' vicesimo die Decembris anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo quinto.

3. Other Miscellaneous Deeds. 556–63.

556.

[John Berford grants to John Horn and others lands &c. once of John Berford sen.]

Sciant presentes & futuri quod ego Iohannes Berforde bocher de Oxonia dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Iohanni Horn capellano, Iohanni Wyttone capellano & Thome Euerdone capellano omnia terras & tenementa, redditus, reuersiones & seruicia quas & que habeo in villa, suburbiis & campis Oxonie, tam illa vel illas quas habeo vel habui ex dono & feoffamento Iohannis Berforde patris mei quam ex optentu & perquisicione seu empcione mea propria in villa de Oxenforde ac eciam in suburbio & campis eiusdem; habenda & tenenda predictis I., I., & T., sibi, heredibus & eorundem assignatis in perpetuum de capitalibus dominis feodi [&c.]; et ego [&c. warranty]. In cuius [&c. sealing], hiis testibus, Thoma Bokbynder, Rogero Grasier, Rogero Latener, Rogero Lymener, Ricardo Parchener' (*sic*) de Oxonia & aliis. Dat' Oxonie decimo die Aprilis anno regni regis Henrici quarti post conquestum octauo. **A. 13. 15 Apr. 10, 1407**

557.

[An agreement with John Horn and others.]

Hec indentura testatur quod licet Iohannes Berforde bocher de Oxonia per quamdam cartam suam feoffamenti dederit & concesserit Iohanni Horne capellano, Iohanni Wyttone capellano & Thome **A. 13. 16 Sept. 5, 1408**

Euerdone capellano omnia terras & tenementa, redditus, reuersiones & seruicia que habuit in villa, suburbiis & campis Oxonie, prout in eadem carta plenius continetur; volunt tamen & concedunt prefati I., I., & T. pro se, heredibus ac assignatis suis per presentes quod si dictus Iohannes Berforde vel aliquis alius nomine suo de omnibus bonis & catallis, receptis de dicto Iohanne Horne & Simone Horne fratre eius & recipiendis usque festum Natalis domini proximo futurum post datam presencium ad idem festum computauerit, et super eodem compoto cum eisdem vel eorum altero, heredibus vel executoribus suis vel eorum alterius, iustum & racionabilem finem fecerit, quod extunc dicta carta feoffamenti & seisina inde secuta pro nullo habeantur; alioquin omnia predicta terre & tenementa [&c.] prefato domino Iohanni Horne, heredibus & assignatis suis remaneant imperpetuum. In cuius [&c. sealing]. Dat' quinto die Septembris anno regni regis Henrici quarti post conquestum nono.

558.

[John Wytton and Thomas Everdone quitclaim to John Horn lands of John Berford.]

A. 13. 17
May 17, 1410

Nouerint uniuersi presentes nos Iohannem Wyttone & Thomam Euerdone capellanos remisisse, relaxasse & pro nobis & heredibus nostris imperpetuum quietos clamasse Iohanni Horn capellano heredibus & assignatis suis totum ius nostrum & clameum quod habemus, habuimus vel aliquo modo habere poterimus seu aliquis nostrum habere poterit in omnibus illis terris & tenementis, redditibus, reuersionibus & seruiciis que vel quas habuimus ex dono & feoffamento Iohannis Berford iunioris filii Iohannis Berford de Oxonia, que situantur in villa, suburbiis & campis Oxonie, prout in carta inde confecta plenius continetur; ita quod nec nos [&c.]. In cuius [&c. sealing]. Dat' Oxonie decimo septimo die mensis Maii anno regni regis Henrici quarti post conquestum vndecimo.

559.

[John Berford quitclaims to John Horn lands once of John Boset.]

A. 13. 18
Jan. 10, 1411

Nouerint uniuersi per presentes me Iohannem Berforde iuniorem de Oxonia remisisse, relaxasse et omnino pro me & heredibus meis imperpetuum quietum clamasse Iohanni Horn capellano, heredibus &

assignatis suis totum ius meum & clameum quod habeo, habui vel habere potero in omnibus illis terris, tenementis, redditibus, reuersionibus & seruiciis, que & quas habui ex dono & feoffamento Iohannis Berforde patris mei, que quondam fuerunt Iohannis Boset de Oxonia, ac eciam que & quas habeo seu habui ex empcione seu perquisicione mea propria siue alicuius alterius donacione seu concessione in villa, campis & suburbiis Oxonie ubicumque situata; ita quod [&c.]; in cuius [&c. sealing]. Dat' Oxonie decimo die mensis Ianuarii anno regni regis Henrici quarti post conquestum duodecimo.

560.

[John Berford grants to John Harding and others a tenement in Cat Street.]

A. 13. 19 Jan. 15, 1420

Sciant presentes & futuri quod nos Iohannes Berforde senior de Oxonia bocher & Iohanna uxor eius dedimus, concessimus & hac presenti carta nostra confirmauimus Iohanni Hardyng & Willelmo Kyngesmylle & Thome Mertone totum illud tenementum nostrum cum shopis, solariis, domibus, gardinis & omnibus suis pertinenciis, que habemus in vico de Catstrete in villa Oxonie inter tenementum abbatis & conuentus Oseneye ex parte australi & tenementum prioris & conuentus sancte Frideswyde ex parte boriali & gardinum collegii beate Marie de Wyntone versus orientem & abuttat super vicum regium de Catstrete versus occidentem[1]; habendum & tenendum prefatis I., W., & T., heredibus & eorum assignatis in perpetuum de capitalibus dominis feodi illius per seruicia inde debita & de iure consueta. Et nos [&c. warranty]; in cuius [&c. sealing], hiis testibus, Thoma Coventre maiore ville Oxonie, Iohanne Bradmere & Iohanne Quarram balliuis eiusdem ville, Thoma Gybbes, Waltero Daundesey, Iohanne Piece, Thoma Dene & aliis. Dat' apud Oxoniam die Lune proxima post festum sancti Hillarii anno regni regis Henrici quinti post conquestum septimo.

561.

[John Berford grants to John Harding all his goods and chattels.]

A. 13. 20 Jan. 16, 1420

Omnibus ad quos presens scriptum peruenerit Iohannes Berford senior de Oxonia bocher salutem in domino. Noueritis me predictum

[1] This tenement was on the east side of Cat Street a little to the north of All Souls chapel. It never was the property of Balliol.

Iohannem dedisse, concessisse & hoc presenti scripto meo confirmasse Iohanni Hardyng, Willelmo Kyngesmylle & Thome Mertone omnia bona & catalla mea mobilia & immobilia, viva & mortua, cuiuscumque generis fuerint seu speciei, in quorumcumque manibus aut in quibuscumque rebus vel locis existencia; habenda & tenenda prefatis I., W., & T., executoribus & eorum assignatis imperpetuum; ita uidelicet quod nec ego [&c.]; in cuius [&c. sealing], hiis testibus, Thoma Coventre maiore Oxonie, Iohanne Bradmere & Iohanne Quarram balliuis eiusdem ville, Iohanne Piece, Thoma Dene, Thoma Thornburghe & aliis. Dat' Oxonie die Martis proxima post festum sancti Hillarii anno regni regis Henrici quinti post conquestum septimo.

562.

[Lucia de Kingeston grants Mauger Hall to William Douvylle.]

A. 14. 1 Apr. 15, 1312

Sciant presentes & futuri quod ego Lucia de Kingestone de Oxonia dedi, concessi & hac presenti carta mea confirmaui Willelmo Douuylle & Elizabeth filie mee unam aulam in villa Oxonie que vocatur Maugerhalle[1] cum omnibus schoppis & solariis & cameris eidem adiacentibus; habendam & tenendam predictam aulam cum schoppis, solariis & cameris adiacentibus prefatis Willelmo & Elizabeth & heredibus de corpore ipsius Elizabeth legitime procreatis, reddendo inde annuatim michi ad totam vitam meam quadraginta libras sterlingorum ad duos anni terminos, videlicet ad festum sancti Michaelis viginti libras et ad festum Pasche viginti libras, et faciendo annuatim pro me & heredibus meis capitalibus dominis feodi seruicia inde debita & consueta. Et ego predicta Lucia & heredes mei [&c. warranty]. Et si contingat quod predicti Willelmus & Elizabeth sine herede de corpore ipsius Elizabeth legitime procreato decedant, tunc predicta aula cum schoppis & aliis pertinenciis suis michi & heredibus meis integre & sine contradiccione aliqua reuertatur. In huius rei robur & testimonium parti huius carte mee ad modum cirographi confecte quam prefatis Willelmo & Elizabeth liberaui sigillum meum est appensum, et relique parti eiusdem carte quam habeo penes me ex liberacione predictorum Willelmi & Elizabeth sigilla eorundem Willelmi & Elizabeth sunt appensa. Dat' apud Oxoniam die Sabbati proxima post festum sancti Leonis pape anno regni regis Edwardi filii regis Edwardi

[1] Now the Golden Cross on the east side of Cornmarket.

quinto. Hiis testibus, Willelmo de Burnecestre tunc maiore Oxonie, Iohanne de Hamptone & Ricardo de Berkele tunc balliuis eiusdem ville, Roberto de Wormenhale, Iohanne de Dokelintone, Andrea de Pyrie, Ricardo le Spicer, Philippo de Wormenhale, Iohanne de Coleshulle, Iohanne le Orfeuere, Willelmo de Pennarth, Thoma clerico & aliis.

563.

[The Town agrees that Balliol shall be exempt from the payment of tenths, which the King may levy on the Town.]

Hec indentura facta inter discretos uiros magistrum & scolares domus scolarium de Balliolo in Oxonia ex una parte & maiorem, balliuos, & communitatem uille Oxonie ex altera parte testatur quod cum graues discordiarum materie inter partes predictas nuper mote extiterint & exorte, occasione cuiusdam clausule in quibusdam litteris domini regis patentibus contente collectoribus decime in villa predicta & eius suburbiis domino regi in Parliamento suo tam apud Nouam Sar' quam in aliis parliamentis precedentibus concesse directis ad leuandum, colligendum & recipiendum decimas de singulis dominis secularibus gentibus laicis bona & possessiones habentibus, et aliis tam maioribus quam minoribus, qui dominia in villa & suburbiis predictis habent, necnon de viris ecclesiasticis de bonis prouenientibus de terris & tenementis suis post annum vicesimum domini Edwardi filii regis Henrici nuper regis Anglie, progenitoris domini regis nunc, in predicta villa & suburbiis adquisitis; dictique viri collegiati huiusmodi decimas soluere recusantes eo quod ante hec tempora huiusmodi decimas soluere non solebant ut asserunt, affirmantes ex munificentia regali per progenitores domini regis nunc eis esse concessum, quam eciam per ipsum dominum regem confirmatum, quod clerici & eorum familia & quicumque de iurisdiccione Cancellarii Uniuersitatis Oxonie existunt non sunt talliabiles, nisi de mercandisis se intromittant, set semper fuerant ab huiusmodi quote solucione exonerati antiquitus & quieti; unde post varios & amicabiles tractatus inter partes predictas hinc inde habitos tandem per assiduam & circumspectam mediacionem discreti viri magistri Roberti Rigge, sacre pagine professoris ac Cancellarii Uniuersitatis Oxonie predicte, discordia inter partes predictas in hunc modum laudabiliter conquieuit, uidelicet quod predicti magister & scolares domus predicte & eorum successores im-

D. 7. 6 Dec. 16, 1384

perpetuum pro bona pace & perpetua tranquillitate habenda tam causa predictorum priuilegiorum & aliorum predictis Uniuersitati & scolaribus eiusdem per nobiles progenitores domini regis nunc quam eciam per ipsum regem concessorum, quam eciam propter multiplicata beneficia maiori & communitati per reuerendum virum magistrum Robertum Rigge cancellarium predictum facta & collata, sint quieti & exonerati de omnimodis decimis domino regi in villa predicta & suburbiis eiusdem concessis vel in posterum concedendis de dominis secularibus & gentibus laicis de terris, tenementis & redditibus ac prouenientibus eorundem ante diem date presencium adquisitis; prouiso semper quod prefati maior, balliui & communitas, heredes & successores sui causa alicuius decime spiritualis per clerum regni Anglie[1] umquam ante hec tempora concesse vel in posterum concedende racione istius compositionis non onerentur, molestentur in aliquo seu grauentur, set inde sint exonerati & quieti imperpetuum. Et quoad solucionem alicuius decime de dominis secularibus & gentibus laicis concesse vel in posterum concedende de terris, tenementis & redditibus ac prouenientibus eorundem ante dictum diem date presencium adquisitis prefati maior, balliui & communitas onerant se, heredes & successores suos imperpetuum cum condicionibus in ista composicione expressatis, ita quod predicti magister & scolares per collectores seu per maiorem & balliuos dicte communitatis vel eorum successores seu quouis alio modo quoad solucionem huiusmodi decime non occasionentur, molestentur in aliquo seu grauentur in futurum; et quoad solucionem decime de terris, tenementis & redditibus sibi adquirendis post datam presencium volunt predicti maior, balliui & communitas pro se, heredibus & successoribus suis quod predicti magister & scolares dicte domus gaudeant eisdem libertate, defensione, consuetudine & usu quibus ante litem & dissensiones nunc motas inter partes predictas gaudere consueuerant, non obstante ista composicione inter partes predictas indentata, saluo tamen quod tenentes dictorum magistri & scolarium in predictis terris & tenementis pro tempore existentes de bonis suis mobilibus secundum priuilegia Uniuersitatis predicte taxabilibus cum predicta communitate sint talliabiles ad solucionem dicte decime imperpetuum prout est moris, uidelicet illi qui sunt de iurisdiccione Uniuersitatis predicte taxentur & assideantur per Cancellarium eiusdem Uniuersitatis qui pro tempore fuerit secundum priuilegia dicte Uniuersitatis per prius [*sic*] usitata; ac eciam illi qui non sunt de iurisdiccione dicte Uniuersitatis per maiorem & communi-

[1] Anglicane, MS.

tatem eiusdem ville taxentur & assideantur prout ante hec tempora taxari & assideri solebant & de iure consueuerunt. Ad hec omnia & singula premissa ex parte dicte communitatis obseruanda predicti maior, balliui & communitas obligant se, heredes & successores suos. In cuius rei testimonium predicte partes hiis indenturis sigilla sua communia alternatim apposuerunt. Dat' apud Oxoniam sextodecimo die mensis Decembris anno domini millesimo ccc octogesimo quarto & regis Ricardi secundi post conquestum octauo.[1]

XIII. STATUTES, ETC. 564–91.

564.

[The Statutes of Dervorgulla.]

Deruorgulla de Galwedia, domina de Balliolo, dilectis in Cristo fratri Hugoni de Hertilpoll' & magistro Willelmo de Menyl salutem in domino sempiternam. Utilitati filiorum & scolarium nostrorum Oxonie commorancium affectu materno prouidere cupientes, omnia inferius annotata uolumus, mandamus & precipimus ab eis inuiolabiliter obseruari. Ad honorem igitur domini nostri Ihesu Cristi & gloriose matris sue Marie necnon et sanctorum omnium, in primis uolumus & ordinamus quod scolares nostri omnes & singuli teneantur diebus dominicis & festis principalioribus diuino interesse offitio, necnon & sermonibus seu predicationibus in eisdem festis & diebus, nisi contingat[2] aliquem ex eis impediri propter urgentem necessitatem uel euidentem utilitatem; ceteris uero diebus diligenter scolas excerceant & studio intendant secundum statuta Uniuersitatis Oxonie & secundum formam inferius annotatam. Ordinamus eciam quod scolares nostri teneantur nostris procuratoribus obedire in omnibus que ex nostra ordinacione, concessione, commissione ad eorum regimen & utilitatem pertinere noscuntur. Item uolumus quod scolares nostri ex semetipsis eligant unum principalem cui ceteri omnes humiliter obediant in hiis que officium principalis contingunt secundum statuta & consuetudines inter ipsos usitatas & approbatas. Predictus autem principalis postquam legitime fuerit electus nostris procuratoribus presentetur, nec aliquid de suo officio excerceat ante-

D. 4. 1
Aug. 22, 1282

[1] With the Town Seal, but not a good specimen, SIGILL' COMMVNE OMNIVM CIVI[. . . . .]. A similar grant was made to Merton on the same day (Merton deeds no. 2704) and no doubt to all Colleges that existed at that time.

[2] contigat, MS.

quam ab eis auctoritate nostra in prefato officio fuerit institutus. Ceterum statuimus quod scolares nostri procurent tres missas celebrari singulis annis sollempniter pro anima dilecti mariti nostri domini I. de Balliolo & pro animabus predecessorum nostrorum omniumque fidelium defunctorum, necnon & pro nostra salute & incolumitate, ita quod prima missa celebretur in prima epdomada aduentus domini & secunda in epdomada septuagesime & tercia in prima epdomada post octauas Pasche & fiant predicte misse de sancto spiritu uel de beata uirgine uel pro defunctis secundum disposicionem procuratorum. Singulis eciam diebus tam in prandio quam in cena dicant benediccionem antequam commedant & post refeccionem gracias agant, & orent specialiter pro anima dilecti mariti nostri superius nominati & pro animabus omnium predecessorum nostrorum, necnon & liberorum defunctorum, pro incolumitate etiam nostra & liberorum ceterorumque amicorum nostrorum uiuorum, necnon & pro nostris procuratoribus secundum formam antiquitus usitatam. Et ut melius prouideatur sustentacioni pauperum ad quorum utilitatem intendimus laborare, uolumus quod diciores in societate scolarium nostrorum ita temperate studeant uiuere ut pauperiores nullo modo grauentur propter expensas onerosas. Et si contingat totam communitatem scolarium nostrorum in expensis communibus aliqua septimana excedere porcionem a nobis eis impensam, uolumus & precipimus districte quod ad solucionem illarum expensarum excedentium nichil omnino recipiatur ultra unum denarium in una septimana ab eis qui secundum discrecionem & arbitrium procuratorum nostrorum iudicantur impotentes uel insufficientes ad totalem illarum expensarum solucionem faciendam, si equalis porcio deberet ab omnibus sociis exhiberi. Predicta tamen nolumus extendi ad magnam uacacionem que durat a translatione beati Thome martiris usque ad festum beati Luce, nec eciam ad septimanas illas in quibus occurrunt festa Natiuitatis dominice, Circumcisionis, Epiphanie, Pasche & Pentecostes, nec in aliis casibus in quibus procuratores nostri iudicauerint illud omittendum. Uolumus eciam procuratores nostros diligentem habere examinacionem super prefata scolarium nostrorum impotencia & quod scolares ipsi ad procuratores nostros accedant cum omni confidencia pro ipsorum necessitate intimanda. Et si contingat aliquem uel aliquos de scolaribus nostris contra ordinacionem istam murmurare aut occasione istius ordinacionis pauperiores uerbo uel signo aliquo prouocare, uolumus quod scolares nostri teneantur sub iuramento nobis prestito nomina taliter murmurantium aut prouocantium nostris procuratoribus reuelare; qui quidem procuratores habita

super hoc sufficienti probacione, auctoritate presencium sine spe redeundi ipsum uel ipsos eiciant indilate. Statuimus etiam quod scolares nostri communiter loquantur Latinum, & qui passim contrafecerit a principali corripiatur & si bis uel ter correptus se non emendauerit a communione mense separetur, per se commedens, & ultimo omnium seruiatur. Et si incorrigibilis manserit per epdomadam a procuratoribus nostris eiciatur. Uolumus eciam quod qualibet altera epdomada inter scolares nostros in eorum domo disputetur unum sophisma & determinetur, & hoc fiat circulariter ita ut sophiste opponant & respondeant, & qui in scolis determinauerint determinent. Si uero aliquis sophista ita prouectus fuerit quod merito possit in breui in scolis determinare, tunc ei dicatur a principali quod prius determinet domi inter socios suos. In fine eciam cuiuslibet disputacionis prefigat principalis diem disputacionis sequentis & disputacionem regat & garrulos cohibeat & assignet sophisma proximo disputandum, opponentem, respondentem, & determinatorem, ut sibi melius ualeant prouidere. Consimili modo fiat qualibet altera epdomada de questione. Precipimus eciam scolaribus nostris firmiter iniungentes ut portitorium[1] quod eis pro anima dilecti mariti nostri concessimus diligenter custodiant, nec aliquo modo permittant illud impignorari uel quocumque titulo alienari. Habeant etiam scolares nostri unum pauperem scolarem per procuratores nostros assignatum, cui singulis diebus reliquias mense sue teneantur erogare nisi procuratores nostri illud decreuerint omittendum. Ut autem omnia & singula predicta a nostris scolaribus tempore procuratorum quorumcumque inuiolabiliter obseruentur, presens scriptum sigilli nostri munimine roborauimus. Dat' apud Botel in octauis Assumpcionis gloriose uirginis Marie anno gracie MCC octogesimo secundo.[2]

565.

[Dervorgulla beseeches brother R. de Slikeburne to be her agent in establishing the College of Balliol.]

Uenerande religionis uiro ac patri suo karissimo fratri R. de Slikeburne de ordine fratrum minorum D. de Galwithia domina de **D. 4. 2 Apr. 16, 1284**

[1] This unknown word occurs in a charter printed in the *Eynsham Cartulary*, ii. 175, where it seems to mean a missal of some kind.

[2] Seal pointed oval; see plate. On the obverse:—S' DERVORGILLE DE BALLI[OLO] FIL' ALANI DE GALEWAD'. Her own shield in her right hand; the Balliol shield in her left hand. On the reverse:—S' DERVORGILLE DE GALEWAD' DNE· DE· BALLIOLO.

Balliolo salutem & deuocionis augmentum in spiritu sancto. Quoniam elemosinam pauperum scolarium domus nostre de Balliolo Oxonie studencium per deuocionem bone memorie domini Iohannis de Balliolo quondam sponsi nostri dudum inchoatam, ac per nos post eius decessum actenus continuatam, ad diuine laudis honorem & tocius ecclesie militantis utilitatem non modicam testatur proficere uirorum illustrium assercio fidedigna; hinc est quod ad tantorum tam religiosorum quam secularium instanciam omni fauore dignissimam elemosine predicte perpetuacionem, spiritu sancto suggerente, affectare quamplurimum excitamur. Quapropter de uestra descrecione deuocioneque plenam gerentes fiduciam, a uenerabili patre ministro uestro perpetuacionis eiusdem execucionem uobis committi procurauimus finali effectui mancipandam, uobis prece qua possumus attente supplicantes quatinus assistente uobis consolacione diuina dictam perpetuacionem satagatis adimplere, prout melius noueritis diuine consonum uoluntati, sancte matris ecclesie utilitati & dictorum scolarium commoditati aptum & proficuum. Et nos quantum in nobis est in omnibus & per omnia ratum & gratum habere promittimus quicquid uos circa negocia scolarium predictorum ordinare, facere, mutare seu procurare decreueritis, et quociens attornatis indigemus ad quascumque saysinas capiendas seu donandas ad opus scolarium predictorum siue de domibus, siue de terris, siue de aliis quibuscumque emptis, emendis uel commutandis ipsos exnunc ordinamus, facimus & constituimus nostros attornatos & procuratores quos uos nomine nostro nominandos duxeritis seu assignandos. Et omnia & singula predicta uniuersis sancte matris ecclesie filiis tenore presencium significamus. In cuius rei testimonium has litteras nostras patentes uobis transmisimus nostro sigillo consignatas. Datas apud Fodringeye in octauis Pasche anno domini MCC octogesimo quarto.

566.

[The Bishop of Lincoln gives his approval of the foundation of Dervorgulla.]

D. 4. 3
June 13, 1284

Uniuersis sancte matris ecclesie filiis ad quos presentes littere peruenerint Oliuerus permissione diuina Lincolniensis episcopus salutem in domino. Cum nobilis mulier deoque deuota domina Doruerguilla de Galewythia domina de Balliolo ad honorem & laudem summe & indiuidue Trinitatis, gloriosissime virginis Marie, genetricis unici filii Dei, beate uirginis & martiris Katerine ac tocius curie celestis & ad

utilitatem tocius ecclesie militantis & stabilimentum Uniuersitatis Oxonie, pro anima nobilis uiri pie recordacionis domini Iohannis de Balliolo quondam sponsi sui & pro animabus omnium predecessorum suorum ac pro salute propria omniumque successorum suorum, locum quemdam cum edificiis & omnibus pertinenciis quem domum scolarium de Balliolo censuit nuncupandum, in nostra diocese apud Oxoniam, ubi viget studium generale, de nouo ordinauerit & in subsidium perpetue sustentacionis magistri dicte domus de Balliolo & scolarium eiusdem assignauerit, eosque philosophiam audire decreuerit & quousque in artibus cessauerint inibi commorari, ex quibus multi moribus & sciencia prediti exeuntes in religionem & alibi magnum fructus cumulum produxerint, & adhuc maiorem domino concedente producent, locumque predictum seu domum terris, possessionibus ac uariis prouentibus in tantum pia deuocione dotauerit atque ditauerit quod studentes inibi in perpetuum congrue poterunt sustentari, sitque nostri debitum officii caritatis & pietatis opera comprobare, precipue que diuine laudis ampliacionem, curie celestis ueneracionem, tocius ecclesie militantis exaltacionem, ac Uniuersitatis predicte fulcimentum respiciunt & honorem, nos dicte nobilis domine deuocionem in domino commendantes, status dictorum magistri & scolarium locique predicti seu domus perpetuacionem cum terris & possessionibus & rebus aliis eidem domui appropriatis seu appropriandis in posterum ratam habentes et gratam ipsam approbamus & tenore presencium confirmamus, eidemque stabilitatis & firmitatis perpetue quantum ad nos pertinet robur plenissimum inpartimur, saluis episcopali auctoritate & Lincolniensis ecclesie dignitate. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Dat' apud Lidingtone Id. Iunii anno domini MCC octogesimo quarto.

A duplicate of no. 566. Both are sealed, this on a tag, but no. 566 on a strip. The seals are broken. **D. 4. 4**

567.

[Grant to Balliol College of moneys owed to the late John de Balliol.]

Omnibus Cristi fidelibus presentes litteras uisuris uel audituris Deruorgulla de Galewithia domina de Balliolo ceterique executores testamenti domini Iohannis de Balliolo salutem in domino. Piam considerantes affectionem quam dilectus quondam dominus noster **D. 4. 5** **June 20, 1287**

dominus I. supradictus habuit ad scolares domus de Balliolo quam Oxonie diuini spiritus instinctu feliciter inchoauit & de perpetua sustentacione decreuerat prouidere, si mortis Auctor & uite sibi concessisset suum adimplere propositum, ipsam eius affectionem ad effectum optatum deducere cupimus ut tenemur. Hinc est quod ex mera & pura omnium nostrum uoluntate pro anima karissimi domini nostri supradicti presencium tenore damus, concedimus & in perpetuum assignamus magistro Waltero de Fodringeye principali scolarium predictorum & eisdem scolaribus domus supradicte, ad sue domus perpetuacionem & sue perpetue sustentacionis prouisionem, omnia debita & quecumque bona alia quocumque titulo ad dictum defunctum seu defuncti testamentum spectancia ad quascumque manus religiosas uel alias per mutuum uel aliter quocumque modo fuerint deuoluta, constituentes dictum magistrum W. principalem scolarium predictorum seu quemcumque alium eius successorem uel quem ipse uel eius successor duxerit substituendum procuratorem seu attornatum in re sua ad petendum seu exigendum ad opus suum sociorumque suorum omnia debita & quecumque bona alia ubicumque inuenta & quomodocumque detenta & ad conueniendum quoscumque debitores, detentores, seu occupatores bonorum predictorum in quocumque foro melius sibi uiderit expedire. Damus eciam dicto principali seu eius sic substituto plenarie totam nostram potestatem debita & alia bona supradicta recipiendi & recepta in usus sue perpetuacionis ac perpetue sustentacionis necessarios omnino conuertendi, quietumclamandi & quietas clamaciones quibuscumque debitoribus soluentibus faciendi, ac omnia & singula circa premissa faciendi & persequendi quibuscumque diebus & locis & coram quibuscumque iudicibus ecclesiasticis seu secularibus, que nos facere possemus uel deberemus, si nostram corporalem exhiberemus presenciam, in omnibus & per omnia ratificantes & confirmantes quicquid dictus principalis seu eius substitutus faciendum duxerit in premissis. Et ut omnia & singula supradicta firmum & solidum capiant effectum in hiis scriptis totum ius quod habemus uel de cetero habere poterimus in premissis & singulis premissorum omnino cedimus principali & scolaribus supradictis, omni actioni imperpetuum renunciantes que nobis uel alicui nostrum competit seu aliqualiter competere poterit in futurum, & totam administracionis curam que nobis coniunctim uel diuisim incubuit in eosdem principalem & scolares in solidum transferentes cum omni onere dictam curam temporaliter seu spiritualiter contingente, saluis tamen semper nobis dicte Deruorgulle duabus partibus omnium

debitorum & aliorum bonorum supradictorum [in uiduitate][1] li[bera][1] nos contingentibus que in ista dacione, concessione & assignacione dictis scolaribus facta minime continentur. Et qu[ia nos executores supradicti][1] bona predicta sustentacioni dictorum scolarium per dictam Deruorgullam perpetuande assignauimus, uolumus [quod quociens principalis][1] uel quilibet alius dictorum scolarium procurator seu atornatus aliqua de dictis bonis receperit, dicte D. uel cuicumque quem [ad hoc][1] specialiter assignauerit racionem reddat de receptis. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Dat' apud Lang[. .]tune die Ueneris proxima ante Natiuitatem sancti Iohannis Baptiste anno domini M ducentesimo octogesimo septimo.

568.

[A similar and earlier grant.]

D. 4. 6 June 5, 1287

Omnibus Cristi fidelibus presentes litteras uisuris uel audituris Hugo de Eure & Stephanus frater eius executoresque ceteri testamenti domini Iohannis de Balliolo salutem in domino. Piam considerantes affectionem quam dilectus dominus noster I. supradictus [&c. as in no. 567] ut tenemur. Hinc est quod ex mera & pura omnium uoluntate nostrum executorum cum consensu & assensu nobilis mulieris domine Deruorgulle de Galewithia domine de Balliolo pro anima karissimi domini nostri supradicti presencium tenore damus, concedimus & in perpetuum assignamus scolaribus domus predicte, ad sue domus perpetuacionem [&c. as in 567] constituentes magistrum Walterum de Fodringeye dictorum scolarium principalem seu quemcumque alium [&c. as in 567] expedire. Damus eciam dicto principali seu eius sic substituto totam nostram potestatem secundum condiciones inferius annotatas debita & bona alia supradicta recipiendi [&c. as in 567 reading 'creditoribus' for 'debitoribus'] spiritualiter contingente. Uolumus tamen & unanimiter ordinamus supradictam donacionem sic accipi quod nichil premissorum attemptetur nisi per consilium fratris Ricardi de Sclikeburne uel rector*um* domus predicte, si ipsum superesse non contigerit, et quod contra fuerit attemptatum irritum decernimus & inane. Debitum eciam domini Roberti filii Roggeri (*sic*) in quo dicto tenetur testamento una cum quibusdam debitis & bonis aliis per discrecionem dicti fratris R. nostre disposicioni uolumus reseruari, si quid forsitan per racionabilem declarationem poterit inueniri quod solui debeat uel restitui. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt

[1] The words in brackets are conjectural.

appensa. Dat' apud Creclawe in comitatu Norhumbr' die Iouis proxima post festum sancte Trinitatis anno domini MCC octogesimo septimo.

569.

[A modification of the previous grant.]

D. 4. 7
Dec. 11, 1287

Pateat uniuersis presentes inspecturis quodcum contineatur in quadam littera patente sub sigillo domini Hugonis de Euer & magistri Stephani fratris sui executorum testamenti domini Iohannis de Balliolo, cuius anime propicietur Altissimus, & aliorum executorum eiusdem testamenti, si qua sint ibi alia sigilla apposita eorundem, quod omnia bona residua dicti testamenti tam debita quam alia ad promocionem domus scolarium de Balliolo Oxonie per dictos executores pro anima dicti nobilis uiri mere & sponte & pure sunt assignata, concessa & collata, & dicti scolares ad eadem petenda, recipienda & in usus suos conuertenda prout melius uiderint expedire communi utilitati procuratores tanquam in re propria sunt specialiter ad hoc constituti per eosdem, hoc tantum excepto quod aliqua porcio de dictis bonis & debitis per discrecionem fratris R. de Sclykeburne reseruetur illis restituenda seu soluenda quibus iuste competit actio, si quid circa dictum testamentum minus fuerit completum uel necligenter omissum, in qua littera si non [1] contineantur eadem uerba continetur tamen eadem sentencia: hinc est quod ego frater R. supradictus uidens in huius rei dilacione magnum animabus quamplurimis iminere dispendium, dictam discrecionem modo subscripto duxi declarandam, quod uidelicet dicti scolares seu eorum attornatus & procurator dicta omnia tam bona quam debita residua quocumque titulo ad dictum testamentum spectancia & in quacumque manu inuenta petendi, recipiendi & in usus proprios conuertendi liberam exnunc habeant facultatem, prohibicione seu contradiccione cuiuscumque dictorum executorum non obstante, centum libris in quibus dominus Robertus filius Rogeri per suum scriptum obligatorium dicto tenetur testamento & pecunia quam soluerant monachi de Rieualle dictis executoribus de debito, in quo eidem testamento tenebantur, ante festum beatorum apostolorum Petri & Pauli proximo transactum tantum reseruatis, quousque per meum consilium de ipsa pecunia reseruanda quid faciendum sit plenius fuerit ordinatum. Quod si dicti monachi de suo debito predicto cuiquam alii quam dictis scolaribus post

[1] These two words are indistinct.

festum supradictum aliquid soluerint uel soluant in futurum, contra tam soluentes quam recipientes ipsi scolares sicud de re spoliata liberam que competit habeant accionem. Dicte vero centum libre exigantur, recipiantur & conseruentur seu custodiantur in loco saluo & securo per dominum H. de Euer & magistros Stephanum fratrem eius & W. de Foddringeye donec in speciali super illis & in scriptis duxero discernendum. In cuius rei testimonium huic littere sigillum meum est patenter appensum; dat' apud Couentre die Iouis proxima post festum sancti Nicholai episcopi anno domini MCCLXXX septimo.

570.

[The two external masters of the College decide that by the statutes of the College the students must attend the schools of Arts and no other schools.]

Tenore presencium pateat uniuersis quod anno domini millesimo trecentesimo vicesimo quinto in festo sancte Margarete virginis dubitacione suborta & questione mota inter scolares domus de Balliolo in Oxonia an liceret sociis ibidem commorantibus aliam scientiam audire quam artes liberales prout artes intelliguntur, que in scolis arcistarum ab arcistis legi possunt, auditis & pensatis motiuis hinc inde ac sufficienti deliberacione prehabita demum declaratum extitit & diffinitum huiusmodi audicionem nullo modo licere, prout apparuit secundum intentionem fundantis domum predictam, immo totaliter fore contra mentem eiusdem necnon & contra consuetudines laudabiles per socios domus eiusdem hactenus approbatas & diucius usitatas. Et ideo inhibitum fuit & interdictum per magistros Robertum de Leycestria de ordine fratrum minorum sacre pagine professorem & Nicholaum de Tyngewicke doctorem in medicina & bacularium sacre theologie tunc magistros extrincecos domus antedicte, ne aliquis socius domus eiusdem magister uel scolaris aliquam facultatem audiat seu eidem intendat in pleno termino seu vacacione preter artes liberales que ab arcistis in scolis arcium de iure legi possunt, prout superius est expressum. Acta sunt ista in aula de Balliolo coram tota communitate, ipsa non reclamante, die sancte Margarete virginis anno supradicto, presentibus magistris sacre theologie doctoribus magistro Ricardo de Camsale & magistro Waltero de Horkestaw una cum magistris Ricardo filio Radulphi & Ricardo de Retford, qui omnes quondam dicte domus socii extiterunt quibus omnibus & singulis

D. 4. 8 July 25, 1325

dicta diff*inicio* & inhibicio iusta simpliciter videbatur. Et si aliquis contra istam inhibicionem aut iniunccionem venerit ac legitime monitus per principalem dicte domus desistere noluerit, tanquam rebellis statutis & consuetudinibus domus predicte arbitrio magistrorum qui pro tempore fuerint merito punietur. Et ne istud factum postea in dubium reuocetur sigilla predictorum magistrorum Roberti & Nicholai una cum sigillis domini Cancellarii Uniuersitatis Oxonie & decani eiusdem ville sunt apposita. Et nos Cancellarius Uniuersitatis Oxonie & decanus eiusdem ville sigilla nostra ad rogatum dictorum magistrorum apposuimus in perpetuam memoriam premissorum. Script' Oxonie in festo sancti Iacobi apostoli anno superius predicto.[1]

Endorsed. Littera testificans nullum socium aule de Balliolo in pleno termino siue vacacione alicui sciencie p*rete*r philosophie intendere ullo modo (contemp. hand).

571.

[The statutes of Philip de Somervile.]

D. 7. 5
1340

Edwardus [2] dei gracia rex Scotorum, ex primeua fundacione magistri & scolarium aule siue domus de Balliolo in Oxonia fundator, uniuersis & singulis ad quos presentes peruenerint salutem in amplexibus saluatoris. Cartam domini Philippi de Somervyle domini de Wychenore militis & statuta in eadem carta contenta magistrum & scolares aule siue domus de Balliolo in Oxonia concernencia, sigillis bone memorie domini Ricardi dudum Dunelmensis episcopi ac venerabilium virorum religiosorum dominorum prioris & capituli Dunelm', reuerendi viri & discreti domini Cancellarii Uniuersitatis Oxonie ac magistri & scolarium aule siue domus de Balliolo in Oxonia una cum sigillo dicti domini Philippi de Somervyle consignatam, inspeximus & in nostra presencia perlegi fecimus in forma que sequitur verborum:—'In nomine sanctissime & indiuidue Trinitatis, patris & filii & spiritus sancti & gloriose virginis Marie & beate Katerine virginis & martiris omniumque sanctorum, ego Philippus de Somervyle, de summi rerum

[1] The four seals are broken, but enough remains to show that on the extreme left was the seal of Rob. de Leycestre: then Nicholas of Tingewick, apparently a circular seal; then the Chancellor, a man with two proctors on each side and an ox below; on the right the seal of the Deanery.

[2] This deed is printed in *Balliofergus*, but with remarkable inaccuracy. There is a translation of it in *Balliol College*, by F. de Paravicini, pp. 184–209, which misses the meaning in a few passages, which are indicated in the following notes.

& bonorum Opificis bonitate confisus, eiusdem gracia qui uota hominum pro sua voluntate ad bonum disponit & dirigit fidenter innisus, animique reuolucione sepe sollicitus si quid sui nominis honori retribuam pro hiis que michi in hac vita tribuit habundanter, aduocacionem ecclesie de Mikelbenton comitatu Norehumbree & in diocese Dunelmensi cum duabus carucatis terre arabilis & viginti acris prati in campis eiusdem ville magistro & scolaribus domus de Balliolo in Oxonia, ac eorum successoribus in augmentacionem numeri scolarium & ad sustentacionem eorundem imperpetuum pro salute anime mee & dilecte sponse mee Margarete & ad honorem & gloriam domini nostri Ihesu Cristi & sancte Katerine virginis ac martiris contuli caritatiue, quam quidem collacionem spontanea & libera voluntate ac deliberato consilio approbo, ratifico & confirmo & apud eosdem magistrum & scolares manere imperpetuum dispono sub forma & condicionibus infrascriptis tam quoad personas quam ad regulas eorundem, annuente domino, sine contradiccione iugiter obseruandis.

Hanc igitur formam quoad omnia infrascripta de communi consensu magistri & scolarium predictorum statuend*o* dispono quod ultra numerum sexdecim sociorum secundum antiquas obseruancias a sociis dicte domus usitatas secundum facultatum sufficienciam dicte domui pertinenc*ium* sex scolares facultati arcium intendentes per socios dicte domus de nouo sint electi, in quorum eleccione necnon in sustentacionis gracia*m* admissione illi qui de locis propinquioribus illi loco ubi beneficia antedicta dicte domui per me collata situantur oriundi fuerint, dum tamen in eis vel eorum aliquo tres condiciones in antiquis ordinacionibus nominate uidelicet magis pauperes, magis proficientes & magis morigerati, precipui sint & primi. Sit autem in dicta domo superior perpetuus in eadem domo commorans qui magistri nomine perpetuo nuncupetur, vir in spiritualibus & temporalibus circumspectus, qui scolaribus in ipsa domo commorantibus ac ministris altaris aliisque omnibus officiariis seu famulis quocumque nomine censeantur qui ad exteriorum seu interiorum administracionem seu regimen fuerint deputati preeminiat[1] & presit, omnesque ei tam scolares quam altaris ministri officiarii & quicumque alii famuli tanquam suo superiori in hiis que officium suum contingunt pareant & intendant. De condicionibus vero eiusdem quoad eius institucionem, eleccionem seu destitucionem & alia ipsum tangentia ea firmiter obseruentur que super hoc inferius sunt annotata.

Uolo eciam & ordino quod de numero scolarium domus supradicte

[1] sic.

eligantur sub formam subscriptam sex socii dummodo in facultate arcium fuerint regentes, qui sacre theologie facultatem audiant, quibus eciam in vacacionibus aliis facultatibus liceat intendere, decreta & decretales per biennium dumtaxat audire.

Dispono eciam quod eleccio magistri perpetui secundum formam inferius annotatam celebretur. Conuocatis omnibus sociis presentibus & absentibus iusta causa & necessaria, dummodo sine notabili difficultate venire poterint, iniungat principalis vel locum eius tenens omnibus & singulis in fide prestita domui quod fideliter duos eligant arcistas qui cum principali domus predicte seu cum eius locum tenente in scrutinio sedebunt, qui per communitatem electi coram seniore secundum eius statum in domo iuramentum prestent corporale & idem iuramentum in propria persona coram eodem seniore prestet principalis quod nec per se, alium, vel alios aliquem vel aliquos ad dicendum [1] pro aliquo in magistrum eligendo induxerint vel inducent quovismodo contra voluntatem propriam & spontaneam, & ad idem iuramentum obseruandum quilibet socius domus supradicte virtute sui iuramenti per eundem seniorem firmiter astringatur. Iurent eciam omnes & singuli tactis sacrosanctis in presencia omnium sociorum quod fideliter & absque personali acceptacione & spe remuneracionis facte vel in futurum faciende pro tali dicant quem melius scientem, magis potentem & maiorem zelum habentem sciuerint ad domus negocia expedienda. Quo facto principalis & alii duo per communitatem electi vota singulorum fideliter sedendo audiant in secretis & scribant & ipsum electum in magistrum fideliter denuncient in quem maior pars communitatis consenserit. Et si contingat aliquos vocum paritatem optinere per saniorem [2] partem communitatis nominatus in magistrum sit electus. Saniorem vero partem ex prerogatiuis in scientia & prioritate domus aliisque consimilibus, ex quibus unus alio uel una pars altera in collegiis sanior solet numerari, vocari decerno. Eleccione quidem magistri celebrata, faciat eum principalis vel senior secundum statum suum in domo coram communitate iurare quod statuta & ordinaciones per me editas fideliter obseruabit. Item volo & dispono quod magister sub forma predicta electus cum littera comitatus [3] ad manerium meum de Wychenore ante officii sui executionem mittatur & domino eiusdem manerii qui pro tempore fuerit se offerat, si quis fuerit de sanguine meo dominus dicti manerii pro tempore illo, & causam sui aduentus exponat; qui sine excepcione contra formam eleccionis seu contra personam electam & absque omni contradiccione

[1] Means 'to vote for'. [2] Not 'senior' but 'saner'. [3] sic.

per predictum dominum illius manerii in magistrum dicte domus sit receptus. Si autem dominus ad dictum manerium presens non extiterit, sufficiat si custodi dicti manerii se presentet & causam sui aduentus exponat. Si autem contingat hereditatem meam inter sorores [1] esse diuisam seniori sorori vel eius heredibus, dum de sanguine meo fuerint, ad dictum manerium de Wychenore dicti magistri sub forma subscripta fiat presentacio. Dictus vero magister, cum de manerio predicto Oxoniam redierit, Cancellario vel eius commissario Uniuersitatis qui pro tunc fuerit, priori seu custodi monachorum Dunelm' Oxonie studencium ibidem pro voluntate domini prioris Dunelm' deputato & duobus magistris extrinsecis assedentibus per principalem & unum de senioribus vel per duos seniores presentetur, a quibus sine contradiccione omnimoda confirmetur; coram quibus prestet iuramentum corporale ordinaciones & constitutiones per dictum dominum Philippum de consensu predictorum scolarium editas fideliter obseruare; & idem iuramentum prestet ad manerium de Whichenore coram domino predicti manerii, si tempore sue presentationis dictus dominus presens extiterit. Cancellario vero vel eius commissario, priore seu custode monachorum predicto aut dictis duobus magistris extrinsecis in hac parte necligentibus vel alias qualitercumque predictam confirmacionem expedire nolentibus, hoc ipso quod eisdem ut predicitur sic electus presentatus fuerit pro confirmato habeatur. Et consimilis forma quoad admissionem cuiuslibet dicte domus electi ad intendendum sacre theologie & quoad eius recepcionem coram memorato Cancellario vel eius commissario & priore seu custode predicto & dictis duobus magistris extrinsecis penitus obseruetur.

Hoc eciam in eadem domo specialiter obseruatur (*sic*) ut circa eos cui ad theologiam fuerint eligendi diligenti sollicitudine caueatur ne qui vel quis preter honestum vel honestos, castos, pacificos, & humiles, ad studium habiles ac proficere volentes, admittantur; quos per communitatem de sociis dicte domus, dum tamen in artibus rexerint, eligendos esse dispono sub hac forma. Conuocet magister domus supradicte communitatem, omnibus & singulis in sacramento domini prestito [2] firmiter iniungendo quod fideliter & sine personarum acceptacione, fauore omnimodo & affeccione quacumque postpositis, talem vel tales ad facultatem predictam eligant quos verisimiliter per experientiam probabilem ad proficiendum in facultate predicta magis

[1] Not 'my sisters', but 'sisters'. Whenever sisters inherited an estate, it was by law equally divided between them.

[2] Not 'after administering to them the Sacrament of the Lord', but 'in virtue of their oath'.

habiles & morigeratos sciuerint; et ille vel illi in quem vel in quos pars maior communitatis consenserit ad theologie audicionem sint electi. Si autem contingat aliquos de eligendis paritatem vocum optinere, senior secundum eius statum in domo preferatur. Electus vero vel electi ad intendendum sacre theologie in sexto anno sue audicionis theologie opponat, & per unum annum vel duos si videtur communitati expedire opponat, & in nono vel decimo anno librum sententiarum legat, & in duodecimo vel terciodecimo anno in eadem facultate incipere teneatur, nisi ex causa legitima vel honesta impediatur. Audiat eciam magister dicte domus quamcumque facultatem voluerit.

Sit eciam numerus scolarium pro redditibus meis dicte domui eligendorum ut predicitur, quorum quilibet undecim denarios per manus sui magistri vel eorum qui ad proventus dicte domus recipiendum vel reseruandum fuerint deputati percipiat; ita tamen quod singulorum sociorum commune in dicta domo ex aliis redditibus veniencium[1] ad undecim denarios per redditus meos predictos augeantur. Si autem victualium caristiam accidere contingat, singulorum sociorum dicte domus commune secundum arbitrium magistri & communitatis ad quindecim denarios inclusiue septimanatim accrescant. Volo eciam quod quilibet dictorum scolarium quatuor denarios percipiat pro septimanis maxime festiuis, sicut in septimana Natalis domini & Pasche & aliis consimilibus, ultra id quod solebat per septimanam predictam percipere; magister siquidem cameram sibi soli deputatam & garcionem sibi ministrantem, qui secundum ordinacionem dicte communitatis suam sustentacionem percipiat de communi. Quia vero extraneos ad dictam domum pro negociis eiusdem accedentes sepius a magistro recipi oportebit, dispono quod si propter sic accedentes & communitatis honestatem pro se & suis commensalibus si sibi videbitur expediens in camera propria prout aliis sociis ministratur[2] [*sic*], mensam minime excessiuam habeat de communi & eo tempore,[3] nisi egritudinis vel alterius cause racionabilis necessitas eum urgeat & compellat. Dictus eciam magister quadraginta solidos pro suis necessariis annuatim de communi percipiat cum facultates reddituum meorum ad hoc sufficerint [*sic*] quousque per me vel per alios seu per communitatem pro eo comodius fuerit ordinatum. Dispono eciam quod idem magister iuramentum prestet corporale ut de sua administracione & de omnibus bonis dicte domui spectantibus coram communi-

[1] Probably 'venientes' was intended.

[2] Probably some word or words are lost: perhaps 'ministrandum foret' lost after the word 'propria'.

[3] Apparently means 'only on such an occasion'.

tate vel aliquibus ad sua raciocinia audienda per communitatem deputatis annis singulis die sancte Margarete seu tempore aliquo per communitatem assignando fidelem reddat racionem; qui suo similiter ministerio interius & exterius prout rei qualitas & temporis seu locorum necessitas aut utilitas poposcerit sollicite intendat; qui eciam annis singulis omnia bona ad dictam domum spectancia per se uel per alium de sociis discretum ad hoc per communitatem electum, si communitati expediens visum fuerit, visitet diligenter, necnon & quantitatem bonorum in locis singulis estimet & taxet, ipsamque estimacionem & taxacionem fideliter in scriptis redigat & redacta in scriptis scolaribus dicte domus deferat & assignet, ut deinde cum sua ratiocinia fuerint audienda, fidelitas ipsorum ratiociniorum ex collecciione ipsius scripture cercius valeat apparere, & compoto dicti magistri plenarie soluto si quid de bonis dicte domus ultra expensas per communitatem allocatas residuum fuerit, infra mensem a die solucionis sui compoti thesaurariorum custodie reddere seu caucionem realem exponere aut alio modo communitati satisfacere teneatur. Quorum si qua fuerit [*sic*] residua, partem in usum sociorum & partem pro oneribus domus supportandis, prout magister & communitas decreuerint, dispono conuerti.

Si autem contingat dictum magistrum breui egritudine infirmari plena sibi porcio sua pro rata porcione temporis vel alia sustentacio competens & minime excessiua ministretur de communi. Aliis vero scolaribus predictis in predicta domo infirmantibus [vel][1] extra, dummodo pro necessitate vel utilitate domus fuerint destinati,[2] exhibicio consimilis fiat de communi. Si autem dicti magistri incurabilis fuerit egritudo nec de eius conualescencia spes extiterit, racione cuius ipsum magistrum circa domus negocia laborare non posse nec ut deceret magistratus officium exercere communitas decreuerit, eo ipso officio suo cedere teneatur & secundum formam eleccionis magistri prescriptam loco eius alius eligatur & sustentacionem secundum arbitrium communitatis competentem pro suo perpetuo habeat de communi. Si autem alicuius predictorum scolarium incurabilis fuerit egritudo propter quod ad victum suum alias consequendum aptus non fuerit, nouem denarios extra domum septimanatim pro suo perpetuo de communi, si quicquam uberius alibi non optinuerit, racione reddituum dicte domus per me collatorum percipiat caritatiue, dum tamen ad

[1] Not in MS.

[2] Not 'if they be deemed of service to the house', but 'if they have been dispatched for the needs or advantage of the house'.

hoc domus sufficiant facultates. Item ordino & dispono quod quilibet socius in sua admissione prestet iuramentum corporale quod non procurabit per se nec per alios nec scienter faciet quominus ad collegium aliud uberioris exhibicionis in dicta Uniuersitate eligatur; quod si ipsum ad collegium aliud huiusmodi eligi contigerit eo ipso in eius persona cesset domus exhibicio supradicte. Magister tamen dicte domus ad huiusmodi articuli obseruanciam se noscat non astringi. Iuret eciam quilibet socius in sua ad dictam domum admissione, quod iura & possessiones dicte domus ubique terrarum pro suis viribus defendet & conseruabit & ad eorum melioracionem fideliter laborabit, & cum ad uberiorem fortunam deo dante peruenerit, in licitis & honestis promouebit, & maxime in consiliis & auxiliis pro defensione & conseruacione iurium dicte domus & eorum melioracione semper adhibendis, & quociens opus fuerit fidele consilium dicte domui si ab eo requiratur constanter adhibebit. Si autem dictus magister de patrimonio aut spiritualitate seu quouis alio modo de certo ad valorem quadraginta librarum promotus fuerit, sui officii regimine extunc non utatur & a beneficio dicte domus penitus excludatur. Eandem eciam formam de quolibet alio socio si quouis modo predicto ad valorem centum solidorum promotus fuerit, ordino obseruari. Item cum dicti magistri industria, honestas & diligencia pre ceteris necessaria sit & oportuna ne per eius necligenciam, quod absit, vel insolenciam dicte domui eueniant dispendia aut pericula grauiora, premissis adicio & dispono, ut cum magister dicte domus qui pro tempore fuerit per dilapidacionem bonorum domus predicte inutilis aut sui officii necligens executor seu luxuriosus vel notabiliter viciosus, ut inferius de sociis notatur, repertus fuerit, trina monicione per principalem de consensu communitatis legitime moneatur ut ab huiusmodi insolenciis & necligenciis se omnino compescat. Qui si post trinam monicionem incorrigibilis apparuerit, aut si a predictis se abstinere neglexerit, de eo Cancellario vel eius commissario & priori seu custodi ac magistris extrinsecis supradictis fiat denunciacio, qui de eius excessibus & processibus contra eum factis summarie informati ipsum sine dilacione qualibet ab officio magistratus ammoueant; qui si ad predicta facienda venire recusauerint vel quorum si quis venire noluerit infra triduum post legitimam denunciacionem eis factam, principali & dicte domus communitati liceat magistrum huiusmodi ab officio magistratus deponere & ipso deposito alium loco illius forma ut predicitur in magistrum eligere. Si autem aliquis sociorum predictorum homicidium aut adulterium, furtum, rapinam, periurium, sacrilegium, vel symoniam

vel aliquod graue delictum committat, seu grauem lapsum carnis vel notam turpitudinis aliquam incurrat, quod absit, per que graue scandalum in dicta domo poterit suscitari, aut quisquam eorum rixosus seu iurgiorum inter socios suscitator creber extiterit vel eorundem sociorum atrox percussor aut, quod plus est, magistro vel principali seu aliis intollerabilis in societate predicta, cum de aliquo premissorum per facti notorietatem seu alias legitime fuerit conuictus, transgressor huiusmodi a domo & exhibicione eiusdem penitus excludatur. Insuper magister dicte domus associatis sibi duobus de antiquioribus & discrecioribus scolaribus dicte societatis omnes discordias inter eosdem scolares exortas & omnia iurgia siue delicta leuia inter eosdem existencia absque strepitu vel dilacione infra domum propriam eorundem, prout magistro & illis antiquioribus videbitur, audiant, pacificent & decidant. Si quis eciam disputacionibus sue facultatis siue scolis diebus legibilibus vel officiis diuinis debito modo non intendat vel si in villa vel extra villam in tempore non debito fuerit vacabundus vel si modo minus honesto in disputacionibus, mensa vel aliis actibus contra magistrum vel socium se habeat, racione cuius scandalum vel incomodum domui predicte vel sociis notabiliter eueniat, uolo quod magister predictus cum illis duobus sibi associatis quemcumque in aliquo premissorum delinquentem inuenerit, puniat, corrigat & remedium imponat, prout qualitas delicti secundum eorum estimacionem racionabiliter id exposcet. Et si quis eorum ordinacioni parere noluerit, per subtraccionem commune sue per quindenam puniatur. Si quis autem huiusmodi transgressor pro suis forsan demeritis per magistrum & sibi assedentes trina vice legitime correctus & per suarum communarum subtraccionem tociens punitus se ab huiusmodi maleficiis refrenare noluerit, tanquam incorrigibilis & rebellis a dicta societate finaliter expellatur. Eiectis autem a domo prefata omne beneficium dicte domus & participatio bonorum ipsius penitus denegetur, nec eis occasione amocionis seu eieccionis huiusmodi contra magistrum dicte domus aut scolares seu quoscumque alios de dicta domo aliqua actio competat vel regressus, siue agendo siue appellando siue querimoniam deponendo siue in integrum restitucionem petendo, siue cuiuscumque curie secularis vel ecclesiastice litteras optinendo, seu litteris a quibuscumque vel per quoscumque optentis utendo contra suam amocionem memoratam, quantumcumque sibi alias probitatis & vite merita suffragentur, ne bona dicte domus in litibus inaniter expendantur. Item in ammocione dicti magistri, cum ex causis superius annotatis fuerit ammotus, censeo obseruandum, &

istud in admissione sua a quolibet sit iuratum. Ne autem ob crimina leuiora ut superius expressum est vel offensas leues eiectis aut studium deserentibus[1] omnis denegetur humanitas, si dignos penitencie fructus egerint & magistrum seu scolares domus supradicte agendo vel appellando aut per modos alios superius nominatos occasione sue eiectionis[2] nequaquam procurauerint molestari, seque ad loca & beneficia ipsius domus humiliter pecierint de nouo admitti, ea ex speciali gracia premissis non obstantibus sibi poterunt concedi, si hoc magistro & scolaribus videatur expediens. Volo[3] eciam quod per preces vel litteras alicuius domini nullus in socium predicte domus admittatur nec pensio alicui per preces vel litteras alicuius magnat' racione reddituum meorum penitus conferatur.

Capellanum siquidem in domo supradicta esse decerno & censeo tempore perpetuo moraturum qui[4] per me & heredes meos dicte domui presentetur & a magistro & sociis absque contradiccione aliqua admittatur, dum tamen idoneus fuerit & honestus, pro me & sponsa mea, pro anima domini Rogeri de Somervyle, pro venerabili patre domino Ricardo Dunelmensi episcopo, heredibus meis & parentibus, necnon & dicte domus benefactoribus imperpetuum celebraturus; qui si inter scolares dicte domus tolerabiliter, honeste & modeste se gesserit ac diuino ministerio diligenter vacauerit, in dicta domo pro suo perpetuo si uoluerit conuersetur, omnem domus exhibicionem quoad victum & cameram quam aliquis de scolaribus predictis ut superius decretum est perceperit pro tempore more sue in dicta domo integraliter percepturus. Quem si publica turpitudinis nota innotuerit, prout de aliquo sociorum quoad eius correpcionem & correctionem & a dicta domo finalem expulsionem nec occasione sue ammocionis accionem, statuta de socio vel sociis eiciendo vel eiciendis prescripta sine contradiccione mei, heredum meorum, seu cuiuscumque alterius titulo vel nomine strictius obseruentur. Quo eiecto vel decedente si nec per me nec per heredes meos alius dicte domui loco illius infra mensem postquam nobis de eius recessu constiterit presentetur, ad predictos magistrum & scolares dicte domus capellani eleccionem quocienscumque sic contingentem solummodo spectare dispono; qui electus sic ut predicitur celebrabit; & si quem capellanum per me presentatum vel per me & heredes meos presentandum seu per predictos magistrum & scolares eligendum ad seruicia diuina ei incumbencia adimplenda ex causa quacumque aptus non fuerit, a dicta

[1] Not 'desire to study' but 'desert the University'.
[2] obieccionis, MS.
[3] Quo, MS.
[4] que, MS.

domo & exhibicione eiusdem ammoueri dispono, & alium loco eius forma ut predicitur subrogari. Capellanus vero pro me & sponsa mea quamdiu vixerimus in omni die trium leccionum preterquam a Pascha usque ad festum sancte Trinitatis, utendo illo officio 'Salus populi' cum propria collecta, secreto & postcommunione eidem officio pertinentibus celebret. In aliis vero festis nouem leccionum & duplicibus, necnon in festis prius exceptis, de aliis sanctis prout sibi videbitur oportunum eidem liceat celebrare. In quibus nisi magis duplex festum fuerit post primam collectam specialem dicat & in suo Memento pro nobis specialiter & deuote exoret. Si autem me viam universe carnis ingredi contingat, sponsa mea viuente, missam de Requiem cum propriis collectis & Placebo & Dirige cum commendacione omni die trium leccionum pro salute anime mee, forma ut predicitur, & omnium fidelium defunctorum celebret deuote, aliquam collectam pro salute sponse mee quamdiu ipsa uixerit iugiter dicendo. Utroque autem nostrum viam uniuerse carnis ingresso, missa de Requiem pro nobis & personis predictis ac pro omnibus benefactoribus domus supradicte, forma ut predicitur, per predictum capellanum deuocius celebretur. Insuper singulis annis die anniuersarii obitus mei missa de Requiem cum nota & Placebo & Dirige precedentibus pro salute anime mee & omnium fidelium defunctorum celebretur. Cui misse & exequiis singuli socii qui pro tempore fuerint teneantur personaliter interesse. Consimilis autem forma quoad anniuersarium sponse mee dilecte Margarete penitus obseruetur. Ad hec siquidem omnia & singula prescripta fideliter observanda quilibet capellanus per me & heredes meos dicte domui presentatus vel presentandus seu per communitatem electus vel eligendus divina officia, forma ut predicitur, celebraturus, tactis sacrosanctis corporale prestet iuramentum. Iuret eciam capellanus in sua ad domum admissione secreta domus clam vel palam nemini revelare, unde dampnum vel scandalum dicte domui, socio, vel sociis, poterit euenire. Qui eciam in sua ad domum admissione renunciet per verba expressa omni future accioni, iuris remedio cuiuscumque tam canonici quam consuetudinarii & ciuilis, si forsan ob sua demerita a dicta domo ipsum eici contingat in futurum. Iuret eciam omnes ordinaciones per me pro profectu dicte domus & honestate ordinatas & quecumque alia priuilegia dicte domus quantum in eo fuerit obseruare. Item habeant dicti scolares qualibet die Sabbati missam cum nota de beata virgine, quando aliam missam cum nota celebrare, seu in ecclesia parochiali vel alibi in missis Uniuersitatis interesse non teneantur. Cui misse in

honore Virginis gloriose celebrate omnes capellani intrinseci, nisi ex causa legitima fuerint impediti, ceterique socii dicte domus, quos propter actus scolasticos seu propter aliam causam legitimam coram magistro vel locum eius tenente approbatam minime impediri contigerit, interesse teneantur. Quam quidem missam capellanus celebrans & quilibet alius capellanus domus predicte in capella eorum celebraturus pro me & sponsa mea teneatur specialiter exorare. Ceterum omni die Veneris quando illam antiphonam Benedicta in dicta capella cantari contigerit & in graciis in mensa dicendis, nomen meum & sponse mee per capellanum seu aliquem socium dicte domus inter nomina benefactorum precipuorum recitentur, pro nobis specialiter exorando.

Illud insuper est attendendum quod si locus habitacionis seu scolarium predictorum studio vacancium congregacio causis aliquibus emergentibus que facile numerari non poterunt ad locum alium transferatur, nichil eis commodi, iuris vel possessionis depereat in predictis redditibus vel rebus aliis sibi assignatis vel deinceps ex pia largicione fidelium assignandis; sed omnia eis nichilominus integra remaneant; durentque ordinaciones hee & alie in posterum promulgande atque priuilegia ipsi domui concessa & futuris temporibus concedenda, dum tamen hanc ordinacionem tam re quam nomine teneant & obseruent, sic tamen quod nomen fundacionis antiquum collegium non amittat[1] sed sicut prius domus de Balliolo nominetur. Nec est intencionis mee eorum fundacionem antiquam aut regulas vel statuta tollere sed ea pocius presentibus confirmare. Et si quid contrarium legibus dictorum scolarium, statutis vel consuetudinibus antiquis, ad quas vel que dicti scolares fuerint iurati, in hac ordinacione mea compertum fuerit, nolo dictos scolares ad illud obseruandum aliquatenus obligari, sed antiqua eo non obstante firmiter obseruentur. Licet autem in premissis sex socios eligi racione reddituum per me dicte domui collatorum ordinauerim & quemlibet socium predictum & capellanum undecim denarios septimanatim & magistrum quadraginta solidos ultra communas suas pro suis necessariis de bonis dicte domus racione reddituum predictorum una cum augmento communarum, forma ut predicitur, percipere ordinauerim, volo tamen & ordino quod omnia & singula in premissis ordinata obseruentur si & quatenus ad hoc domus supradicte per me caritatiue collate sufficeant facultates. Premissis eciam adiciendo decerno quod si redditus in presente dicte domui assignati aut in posterum ex pia largicione fidelium assignandi ex-

[1] admittat, MS.

creuerint, numerus scolarium in dicta domo studio theologie vacancium quatenus augeri poterit augeatur, nisi de conferendis in futurum per donatores ipsos aliter contigerit ordinari.

Et ne aliqui de scolaribus predictis ignoranciam horum futuris temporibus possint quouis modo pretendere, statuo quod singulis annis in festo sancte Margarete presens scriptum coram omnibus publice recitetur. Item statuo, ordino & ad premissa adicio quod prior seu custos monachorum Dunelm' Oxonie studencium per priorem Dunelm' prefectus, collega sit in omnibus Cancellario predicto vel eius commissario tam in admissione quam confirmacione electi in magistrum dicte domus de Balliolo & prestacione iuramenti ac ammocione eiusdem magistri in casu quo fuerit ammouendus, de quibus supra fit mencio, necnon & illorum quos continget eligi ad insistendum theologie facultati. Ipseque prior seu custos cum dicto Cancellario vel eius commissario exerceat omnia que circa dictos electos fuerint excercenda. Sit[1] autem idem prior seu custos unus cum magistris intrinsecis, quibus dicti sex scolares vel plures si bona excreuerint presentari debent cum eligantur, plenamque potestatem cum aliis magistris habeat ad eosdem scolares examinandum, admittendum, vel eciam repellendum, & ad omnia alia exercenda circa eosdem que circa alios scolares in eadem aula existentes per dictos magistros extrinsecos exerceri consueverunt tempore retroacto. Volo insuper, statuo & dispono quod episcopi Dunelmenses qui pro tempore fuerint prefatos magistrum & scolares ad denunciacionem dicti prioris seu custodis monachorum Dunelm' ad obseruanciam premissorum quoad eleccionem sex scolarium & capellani racione reddituum per me collatorum ad presens, necnon ad numerum studencium in casu excrescencie reddituum eorundem cum acciderit ut premittitur ampliandum ac quoad omnia alia & singula superius expressata possint compellere viis et modis canonice prout sibi magis videbitur expedire.

In quorum omnium testimonium & perpetuam firmitatem tria instrumenta tenoris consimilis sunt confecta, quorum cuilibet sigilla reuerendi patris domini Ricardi dei gracia Dunelmensis episcopi, religiosorum virorum dominorum prioris & capituli Dunelm', venerabilis viri domini Cancellarii Vniuersitatis Oxonie, ac magistri & scolarium aule de Balliolo predictorum una cum sigillo meo appendi procuraui. Quorum eciam instrumentorum unum penes dictos priorem & conuentum, aliud penes prefatos magistrum & scolares, tercium penes me, heredes & assignatos meos volo, ordino & dispono perpetuo

[1] Si, MS.

remanere. Et nos Ricardus permissione diuina Dunelmensis episcopus ad rogatum domini Philippi ac magistri & scolarium predictorum ad corroboracionem statutorum seu ordinacionum predictorum quatenus rite & canonice sunt edita quantum ad nos pertinet sigillum nostrum XVIII die mensis Octobris anno domini millesimo CCC quadragesimo in manerio nostro de Aukeland presentibus duximus apponendum, iure, consuetudine & dignitate nostris & ecclesie nostre Dunelmensis in omnibus semper salvis. Et nos prior ecclesie Dunelmensis & eiusdem loci conuentus omnia & singula supradicta racionabiliter statuta, ordinata & decreta per dominum Philippum memoratum ac auctoritate pontificali dicti reuerendi patris ut premittitur roborata ad instanciam dicti domini Philippi [et][1] magistri & scolarium predictorum, quantum in nobis est, de nostro consensu unanimi & apposicione sigilli nostri communis capituli Dunelmensis approbamus, ratificamus & eciam confirmamus. Dat' in domo nostra capitulari Dunelm' vicesimo quarto die mensis Octobris anno domini supradicto. Et nos Cancellarius Uniuersitatis antedicte ad rogatum dictorum domini Philippi [et][1] magistri & scolarium domus supradicte in testimonium premissorum, quatenus rite & legitime sunt ordinata in crastino Purificationis beate Marie anno supradicto sigillum officii nostri presentibus apposuimus. Et nos magister & scolares domus supradicte submittentes nos & domum nostram de Balliolo predictam ex certa sciencia, pure, sponte iurisdiccioni & cohercioni venerabilis in Cristo patris domini dei gracia Dunelmensis episcopi qui pro tempore fuerit quoad ecclesiam de Mikelbentone & quoad omnia alia & singula supradicta nos & dictam ecclesiam contingencia, iurisdiccionem predicti venerabilis patris scienter prorogando in corroboracionem, confirmacionem & perpetuam[2] rei firmitatem omnium & singulorum superius expressatorum sigillum nostrum commune presentibus duximus apponendum. Dat' Oxonie in aula de Balliolo in crastino Purificacionis beate Marie anno domini supradicto.'

Nos igitur Edwardus rex Scotorum antedictus ac magistri & scolarium aule siue domus de Balliolo in Oxonia ab antiquo fundator, dictam cartam atque statuta in eadem contenta omnia & singula tanquam iuri congrua & racioni consona approbamus, ratificamus & quantum in nobis est pro nobis & successoribus nostris confirmamus, non obstantibus quibuscumque statutis contrariis, priuilegiis seu consuetudinibus ab antecessoribus nostris ante hec tempora editis, concessis,

[1] Om. MS. [2] perpetue, MS.

approbatis seu confirmatis. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum presentibus fecimus appendi; datum[1] [*sic*].

572.

[Clement VI permits the College to appropriate the church of Abbotsley.]

Clemens episcopus [&c.] Exhibita siquidem nobis dilectorum filiorum uniuersorum clericorum et scholarium domus siue aule Ballioli vulgariter nuncupate de Oxonia Lincolniensis diocesis, ubi viget studium generale, petitio continebat quod in dicta aula, pia largitione et eleemosina fundatoris ipsius, quamplures studentes clerici, singuli videlicet eorundem octo denarios sterlingorum tantum singulis septimanis ab antiquo perciperent et percipere dinoscuntur, et cum magistri in artibus facti fuerint extunc ab aula expelluntur eadem, ita quod in aliis scientiis liberalibus propter ipsorum paupertatem proficere nequeunt, sed interdum studium dimittentes victum mechanice querere compelluntur; quibus dilectis filiis nobilis vir Willelmus de Felton miles dicte diocesis compatiens numerum dictorum scholarium affectet in aula huiusmodi augmentare ac ordinare quod scholares ipsi libros diuersarum facultatum habeant in communi et quod singuli eorum vestes sufficientes et duodecim denarios monete predicte percipiant singulis septimanis et quod possint in dicta aula libere remanere et predicta integre percipere ad quemcumque statum magistratus seu doctoratus deveniant donec fuerint competens beneficium ecclesiasticum assecuti, et extunc aulam ipsam dimittere tenebuntur, quibus alii ydonei debeant surrogari; et quod idem miles ius patronatus ecclesie parochialis de Abbottisley dicte diocesis eleemosinarie dicte aule ac clericis et scholaribus eiusdem procurauit et etiam acquisivit [&c. The Pope allows the church to be appropriated to the College]. Dat' apud Pontem Sorgie Auinion' diocesis IIII Kal. Maii pontificatus nostri anno primo.[2] **Apr. 28, 1343**

573.

[Urban V commissions the Bishop of London to revise the statutes of the College.]

Urbanus episcopus servus servorum dei venerabili fratri episcopo Londoniensi salutem & apostolicam benedictionem. Exhibita nobis **Feb. 11, 136¾**

[1] Seal circular, 2 in., a shield, ? three eagles, S' PH'I S[OMERVIL]LE DE WYCH'NOVER DNI.

[2] The original is not preserved; a copy is found in the earliest register, fol. 29.

pro parte dilectorum filiorum magistri et scholarium ac collegii aule seu domus Ballioli Oxoniensis Lincolniensis diocesis petitio continebat quod quondam Derwelgulla de Balliolo dictum collegium pro anime sue remedio ordinavit, ac de bonis suis dotavit, et quedam statuta edidit in eodem, ac voluit quod magister et singuli scholares eiusdem collegii tempore sue receptionis in ipso de dictis statutis seruandis prestarent corporaliter iuramentum. Continebat eciam dicta peticio quod in eisdem statutis inter alia continetur quod in dicto collegio nulli manerent nisi artiste, et quod nullus post acceptum statum magistralem in artibus seu ipsarum artium aliqua facultate nisi per triennium dumtaxat in dicto collegio moraretur, sed extunc de ipso recedere foret astrictus, et quod postmodum post longi temporis cursum quondam Philippus de Somerwelle miles, dominus de Wichnor, pia intentione considerans quod persone seu socii dicte domus post magistralem statum huiusmodi exinde compellebantur recedere, quamuis aliunde victum eis necessarium non haberent, eidem collegio ecclesiam de Magna Bentona Dunelmensis diocesis de suo patronatu existentem auctoritate ordinaria uniri procuravit et fecit, de cuius ecclesie proventibus voluit & ordinavit in dicta domo seu dicto collegio certum theologorum numerum perpetuis temporibus sustentari, et edidit quedam statuta ad que servanda omnes eosdem scholares et personas astringi voluit proprio iuramento; que licet sint racionabilia et collegio supradicto utilia et pia intentione, ut creditur, condita tamen sunt prioribus statutis multum contraria; et quod huiusmodi contrarietas consciencias scholarium seu personarum dicti collegii multipliciter turbat et etiam inquietat, et dissentiones ac litium fomitem administrat. Quare pro parte dictorum magistri et scholarium fuit nobis humiliter supplicatum ut eis providere in hac parte de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue de cuius circumspectione in hiis & aliis gerimus in domino fiduciam pleniorem, faciendi tibi exhiberi tam prima quam secunda statuta huiusmodi, illaque interpretandi, declarandi, concordandi, moderandi, corrigendi et mutandi ac eis addendi et ex ipsis detrahendi, aliaque de novo edendi, prout secundum deum & equitatem utilitati et quieti dicti collegii videris expedire; ac magistrum et scholares seu personas dicti collegii ab obseruatione statutorum huiusmodi que duxeris moderanda, corrigenda, detrahenda seu mutanda auctoritate nostra absoluendi ac contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi plenam concedimus tenore presencium facultatem, non obstantibus quibuscumque per dictos magi-

strum, scholares et personas prestitis iuramentis, seu si aliquibus communiter uel diuisim a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi uel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat' Avinion' III Id. Februarii pontificatus nostri anno secundo.[1]

574.

[The Bishop of London, commissioned by the Pope, sends for a copy of the two sets of statutes that had been given to Balliol.]

Simon permissione diuina Londoniensis episcopus, commissarius ad infrascripta a sede apostolica specialiter deputatus, venerande discrecionis uiris magistris Iohanni de Hechyngham Cancellario Uniuersitatis Oxonie ac Henrico de Whitfeld preposito aule Regine Oxonie, sacre theologie professoribus, et magistro Radulfo Ergum, inceptori iuris ciuilis, salutem & nostris ymmo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noueritis nos quasdam litteras apostolicas per partem scolarium aule Ballioli Oxonie Lincolniensis diocesis nobis exhibitas & ostensas cum ea qua decuit reuerencia recepisse, quas vobis eciam una cum presentibus transmittimus inspiciendas ac earum copia penes vos retenta nobis illico remittendas. Mandamus auctoritate apostolica supradicta qua fungimur in hac parte quatinus, cum nos simus variis negociis aliis iugiter occupati quominus huiusmodi negocio ad presens personaliter intendere non valemus, litteris apostolicis huiusmodi diligenter attentis, statuta tam prima quam secunda dicti collegii, aule seu domus Ballioli Oxonie, de quibus in dictis litteris apostolicis plenius est expressum, coram vobis actualiter exhiberi et fidele transumptum statutorum huiusmodi cum deliberacione prouida fieri faciatis, cum per partem scolarium predictorum super hoc fueritis congrue requisiti, nobisque transumptum huiusmodi sub manu publica siue autentico sub sigillo confectum fideliter transmittatis & clare pro loco & tempore oportunis, ut nos ex transumpto predicto prouide informari commissaque nobis in litteris apostolicis supradictis cum deliberacione matura ulterius exequi & facere valeamus, prout secundum deum & equitatem utilitati & quieti dicti collegii viderimus expedire. Insuper si qua pro informacione nostra in dicto negocio pleniori vobis

D. 4. 9 Feb. 5, 136$\frac{4}{5}$

[1] The original is not preserved; a copy is found in the earliest register, fol. 25.

occurrant nobis ea fideliter intimare sub sigillo vestro velitis presencium cum tenore. Dat' London' nonis Februarii anno domini millesimo ccc sexagesimo quarto, et nostre consecrationis tercio.[1]

575.

[The external masters, or rectors, of the College inform the Bishop of London that they have declared one of the statutes of the College to be harmful.]

D. 4. 10
Apr. 19, 1433

Reuerendo in Cristo patri et domino, domino Roberto dei gracia episcopo Londoniensi, Ricardus Roderham sacre theologie professor et Iohannes Frekyngtone ordinis minorum in Oxonia, rectores collegii siue aule de Balliolo in eadem Oxonia Lincolniensis diocesis, reuerentiam tanto patri debitam cum honore. Cum nos nuper iuxta exigenciam officii quo fungimur super regimine dicti collegii et obseruacione statutorum eiusdem inquisicionem cum ea qua conuenit diligencia faceremus ex parte inibi collegiatorum, nobis extitit supplici insinuacione conquestum quod idem collegium pretextu cuiusdam statuti quod sic incipit 'In primis statutum est quod in domo de Balliolo semper sint tot scolares quot &c.', ad cuius obseruacionem sunt astricti, passum est retro temporibus & patietur verisimiliter in futurum, nisi maturius occurratur, graue preiudicium & iacturam, pro eo videlicet maxime quod ex eiusdem obseruacione continget illud viris industr' expertis & perplurimum necessariis prepropere nimium destitui, sicut pluries actinus contingebat, dum eiusdem statuti rigore propter beneficium tam exile artantur infra tempus angustum nimis finaliter a collegio recedere memorato. Unde cum nos predicta tam ex eorum & aliorum relacione fidedigna quam ex multis rerum argumentis esse vera comperimus, dictum statutum iuxta quod eorum peticio continebat de communicato consensu maioris & sanioris partis communitatis dicte domus, quatenus possumus & ad nos pertinet, rigorosum nimis & felici eiusdem aule vel domus regimini noxium, preiudiciale, dampnosumque sentiuimus, declarauimus, decreuimus & laudauimus sicut in presenti sentimus, declaramus, decernimus & laudamus ; que omnia & singula paternitati vestre significare & nota facere dignum duximus per presentes. In cuius rei testimonium atque fidem quia sigilla nostra perpaucis innotescunt, sigillo officii Cancellariatus Uniuer-

[1] With a fragment of the bishop's seal. For the alterations which the Bishop seems to have made at this time see the *History of Balliol* by H. W. C. Davis, p. 33.

sitatis Oxonie presentes procurauimus consignari. Dat' Oxonie in collegio Mertonis xix die mensis Aprilis anno domini millesimo cccc tricesimo tercio.[1]

576.

[The Bishop of London alters one of the statutes of the College.]

D. 6. 11 Aug. 8, 1433

Uniuersis sancte matris ecclesie filiis ad quos presentes littere peruenerint Robertus permissione diuina Londoniensis episcopus salutem, graciam & benedictionem. Cum inter statuta collegii aule siue domus Ballioli Oxonie Lincolniensis diocesis inter cetera reperiatur quoddam statutum in quo sic cauetur, quod si contingat quod aliquod statutum premissum videatur sociis nimis graue vel nimis remissum secundum iudicium rectorum, magistri ac maioris partis comitiue, habeat tunc episcopus Londoniensis potestatem dictum statutum corrigendi, mitigandi, diminuendi, addendi, mutandi necnon aliud statutum faciendi secundum quod sibi ad honorem dei & utilitatem dicti collegii videbitur expedire : ac insuper cum inter statuta reperiatur quoddam aliud statutum sub hac forma uerborum 'In primis statutum est quod in domo de Balliolo semper sint tot scolares quot comode ex fructibus, redditibus & prouentibus eiusdem domus secundum limitacionem expensarum infra in statutis annotatam poterint sustentari; qui de se ipsis habeant unum magistrum cuius officium duret quamdiu se bene gesserit in officio, propter tamen defectum notabilem ammoueatur sub forma inferius annotanda, vel si beneficiatus fuerit ad verum valorem decem librarum annuatim uel qualitercumque sibi fuerit prouisum perpetuo aliunde ad tantam summam ; quo casu post tres menses a tempore pacifice possessionis adepte dictarum decem librarum ipso facto nouerit se ammotum'; quod quidem statutum prout sufficienter informamur videtur rectoribus, magistro, ac maiori parti comitive dicti collegii fuisse et esse nimis graue atque dampnosum propter nonnulla pericula & incomoda que occasione eiusdem statuti prefato collegio sepius euenerunt & verisimiliter amplius euenient in futurum, nisi celerius de oportuno remedio sit prouisum; Nos igitur volentes huiusmodi periculis & incomodis obuiare ac

[1] With the seal of the Chancellor; he is sitting in a niche, in his hands a book fastened with a thong, a gown with full sleeves fastened across the chest, on his head a hat like a cardinal's; above him the open book with three crowns and apparently seven clasps; on each side of him proctors, in M.A. gowns, the sleeves to the elbows with capes over all; above them beedles with staves, also with capes. [ ] OFFICII CANCELLARIATVS.

vtilitati & quieti dicti collegii, magistri, sociorum & scolarium eiusdem cum fauore prospicere, ad instanciam, rogatum & supplicacionem prefatorum rectorum, magistri, sociorum & scolarium predictum statutum sub forma subscripta duximus corrigendum, mutandum & emendandum & sub forma subscripta corrigimus, mutamus & emendamus & in loco illius statuti inseri volumus subscriptum statutum, viz. ' Inprimis statutum est quod in domo de Balliolo semper sint tot scolares quot comode ex fructibus, redditibus & prouentibus eiusdem domus secundum limitacionem expensarum infra in statutis annotatam poterunt sustentari. Qui de se ipsis habeant unum magistrum, cuius officium duret quamdiu se bene gesserit in officio, licet ad quamcumque summam promotus fuerit aut aliunde sibi perpetuo ad summam huiusmodi sit prouisum, propter tamen defectum notabilem ammoueatur sub forma inferius annotanda. Et quandocumque vacante officio magister ibidem fuerit eligendus, liceat sociis siue scolaribus ipsius domus de aliis quam de se ipsis, si hoc eis videatur expediens, beneficiatum vel non beneficiatum, eligere in magistrum, dum tamen idem sic electus socius iuratus eiusdem domus prius extiterit, cuius officium duret sicut prius quamdiu bene se gesserit in officio, licet ad quamcumque summam promotus fuerit, uel aliunde perpetuo ad summam huiusmodi prouisio sibi fiat, propter tamen defectum notabilem ammoueatur sub forma in statutis plenius annotata '. Quod quidem statutum nostrum huiusmodi sic denuo factum in loco prioris statuti de cetero precipimus & mandamus firmiter obseruari, iuramentis predictorum magistri & sociorum siue scolarium prius prestitis, & aliis si que visa fuerint huic statuto contraria in aliquo non obstantibus quibuscumque. Que omnia & singula uniuersitati vestre innotescere volumus per presentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum fecimus hiis apponi. Dat' in manerio nostro de Stebbenhithe octauo die Augusti anno domini millesimo ccccxxxiii, et nostre consecracionis anno secundo.

D. 6. 12 is a duplicate of this deed.

577.

[The Bishop of London alters two of the statutes.]

D. 6. 13
Aug. 27, 1470

Uniuersis sancte matris ecclesie [filiis][1] ad quos presentes littere peruenerint Thomas permissione diuina Londoniensis episcopus salutem, graciam & benediccionem. Cum inter statuta collegii aule siue domus

[1] Not in MS.

Ballioli Oxonie Lincolniensis diocesis inter cetera reperiatur quoddam statutum in quo cauetur, quod si aliquod statutum premissum videatur sociis nimis graue vel nimis remissum secundum iudicium rectorum, magistri ac maioris partis comitiue, habeat tunc episcopus Londoniensis potestatem dictum statutum corrigendi, mitigandi, diminuendi, addendi, mutandi necnon aliud statutum faciendi quod sibi ad honorem dei et utilitatem dicti collegii videbitur expedire; ac insuper cum inter statuta reperiantur duo alia statuta sub hac forma verborum:—'In primis statutum est quod in domo de Balliolo semper sint tot scolares quot commode ex fructibus, redditibus & prouentibus eiusdem domus secundum limitacionem expensarum infra in statutis annotatam poterunt sustentari; qui de se ipsis habeant unum magistrum, cuius officium duret quamdiu se bene gesserit in officio, licet ad quamcumque summam promotus fuerit aut aliunde sibi perpetuo ad summam huiusmodi sit prouisum, propter tamen defectum notabilem ammoueatur sub forma inferius annotanda; et quandocumque vacante officio magister ibidem fuerit eligendus, liceat sociis siue scolaribus ipsius domus de aliis quam de se ipsis, si hoc videatur eis expediens, beneficiatum vel non beneficiatum eligere in magistrum, dum tamen idem sic electus socius iuratus eiusdem domus prius extiterit, cuius officium duret sicut prius quamdiu bene se gesserit in officio, licet ad quamcumque summam promotus fuerit vel aliunde perpetuo ad summam huiusmodi prouisio sibi fiat; propter tamen defectum notabilem ammoueatur, sub forma in statutis plenius annotata.' 'Item statutum est quod pro disputacionibus in domo faciendis quod omnibus diebus Mercurii et Sabbati in pleno termino preterquam in Quadragesima, in qua solum in diebus Sabbati disputetur, fiat disputacio inter socios, una de problemate et alia de questione, incipiendo quolibet termino primo die Mercurii vel Sabbati post resumptionem magistrorum, continuando usque ad diem cessationis illius termini exclusive, et in magna vacacione disputent semel in septimana videlicet in die Sabbati usque ad festum Natiuitatis beate Marie; in istis autem disputacionibus incipiet primo magister domus, si non sit bachillarius vel magister in theologia, in principio anni bis in quindena diebus Sabbati disputare, ita quod primo die Sabbati disputet problema et secundo die Sabbati questionem de philosophia, et postea in secunda quindena disputet senior in domo post magistrum modo predicto & sic disputent ceteri socii qui non sunt bachillarii [vel][1] magistri in theologia, determinatores vel sophiste, secundum eorum ordinem in domo. In qua dis-

[1] Not in MS.

putacione respondeant bachillarii incipiendo a iuniore & sic respondeant secundum eorum ordinem in domo ascendendo; ad quam disputacionem teneantur omnes simul conuenire nisi ex causa legitima et a magistro approbata fuerint excusati & tunc licencia ab eodem petita pariter & obtenta. Si vero contingat quod magister domus sit magister in theologia vel bachillarius in eadem, tunc senior qui non est magister vel bachillarius in theologia incipiat disputare modo predicto. In disputacionibus faciendis diebus Mercurii senior bachillarius secundum statum eius in domo in principio anni primo die Mercurii post resumpcionem magistrorum disputet problema vel sophisma, et in secunda septimana disputet senior post illum gradatim secundum eorum ordinem in domo: in qua disputacione responsalis assignetur per magistrum vel locum eius tenentem, si aliquis eorum sit presens, et in absencia eorum assignetur per seniorem in disputacione presentem. Si vero non sint bachillarii in domo, disputent magistri qui non sunt bachillarii vel magistri in theologia semel in septimana in diebus Sabbati, incipiendo a magistro vel a seniore qui non est bachillarius vel magister in theologia, descendendo, & responsio ascendat incipiendo a iuniore magistro modo predicto. Si vero fuerit in domo determinator unus vel plures, disputent de sophismatibus quolibet anno a tempore resumpcionis magistrorum in yeme usque ad proximum diem Iouis ante Quadragesimam bis in septimana, videlicet die Martis & die Iouis, et in fine cuiuslibet sue disputacionis dicta opponentis & respondentis, ad modum quo faciunt determinatores in scolis, recitare tenentur, et postea secundum opinionem propriam veritatem dicere & determinare, in qua disputacione tenetur sophista si fuerit respondere. Si autem non fuerit sophista in domo, respondeant bachillarii secundum eorum ordinem in domo, incipiendo a seniore; et ad quamlibet huiusmodi disputacionem tenentur omnes bachillarii & sophiste interesse nisi ex causa legitima & a magistro approbata fuerint excusati, & tunc licencia ab eo petita pariter & obtenta. Quam quidem disputacionem senior bachillarius, si magister non fuerit presens, tenetur regulare, cui omnes alii tenentur obedire. Omnes vero disputaciones tam philosophicas quam logicas regat magister vel eius locum tenens, et in eorum absencia senior domus presens, qui tamen non est arguens vel respondens.' Que quidem statuta prout sufficienter informamur videntur rectoribus, magistro ac maiori parti commitive dicti collegii fuisse & esse nimis gravia atque dampnosa propter nonnulla pericula & incommoda que occasione eorundem statutorum prefato collegio sepius euenerunt & verisimiliter amplius euenient in futurum, nisi celerius de

oportuno remedio sit prouisum. Nos igitur volentes huiusmodi periculis et incommodis obuiare ac utilitati et quieti dicti collegii, magistri, sociorum & scolarium eiusdem cum fauore prospicere, ad instanciam, rogatum & supplicacionem predictorum rectorum, magistri, sociorum et scolarium predicta statuta sub forma subscripta corrigimus, mutamus et emendamus et in locis illorum statutorum inseri volumus subscripta statuta videlicet :—' In primis statutum est quod in domo de Balliolo semper sint tot scolares quot commode ex fructibus, redditibus, & prouentibus eiusdem domus secundum limitacionem expensarum infra in statutis annotatam poterunt sustentari, qui de se ipsis habeant unum magistrum cuius officium duret quamdiu bene se gesserit in officio, licet ad quamcumque summam promotus fuerit aut aliunde sibi perpetuo ad summam huiusmodi sit provisum; propter tamen defectum notabilem ammoveatur sub forma inferius annotanda. Et quandocumque vacante officio magister ibidem fuerit eligendus, liceat sociis siue scolaribus ipsius domus de aliis quam de se ipsis, si hoc videatur eis expediens, beneficiatum vel non beneficiatum eligere in magistrum; dum tamen idem sic electus socius iuratus eiusdem domus prius exteterat [*sic*] vel aliquis olim capellanus eiusdem domus qui in dicta domo continue steterat per annum & amplius, et postea beneficiatus fuerit competenter; cuius officium duret sicut prius quamdiu bene se gesserit in officio, licet ad quamcumque summam promotus fuerit vel aliunde perpetuo ad summam huiusmodi prouisio fiat, si fiat; propter defectum tamen notabilem ammoueatur sub forma in statutis plenius annotata.' 'Item statutum est pro disputacionibus in domo faciendis quod omnibus diebus Mercurii et Sabbati in pleno termino preterquam in Quadragesima, in qua solum in diebus Sabbati disputetur, fiat disputacio inter socios, una de problemate et alia de questione, incipiendo quolibet termino primo die Mercurii vel Sabbati post resumpcionem magistrorum continuando usque ad diem cessacionis illius termini exclusiue, et in magna vacacione disputent semel in septimana videlicet in die Sabbati usque ad festum Nativitatis beate Marie. In istis autem disputacionibus incipiet primo senior in domo qui non est magister domus nec bachillarius vel magister in sacra theologia in principio anni bis in quindena diebus Sabbati disputare, ita quod primo die Sabbati disputet problema, et secundo die Sabbati questionem de philosophia, et postea in secunda quindena disputet secundus socius post ipsum modo predicto et sic disputent ceteri socii qui non sunt bachillarii vel magistri in sacra theologia nec determinatores vel sophiste secundum eorum ordinem in domo; in qua disputa-

cione respondeant bachillarii incipiendo a iuniore & sic respondeant secundum eorum ordinem in domo ascendendo; ad quam disputacionem teneantur omnes simul preter magistrum domus conuenire, nisi ex causa legitima et a magistro approbata fuerint excusati et tunc licencia ab eodem petita pariter & obtenta. In disputacionibus faciendis diebus Mercurii senior bachillarius secundum statum eius in domo in principio anni primo die Mercurii post resumpcionem magistrorum disputet problema uel sophisma, et in secunda septimana disputet senior post illum gradatim secundum eorum ordinem in domo. In qua disputacione responsalis assignetur per magistrum vel locum eius tenentem, si aliquis illorum sit presens, et in absencia eorum assignetur per seniorem in disputacione presentem. Si vero non sint bachillarii arcium in domo, disputent tunc magistri qui non sunt bachillarii vel magistri in theologia semel in septimana, excepto magistro domus, incipiendo in diebus Sabbati a seniore socio post magistrum descendendo, et responsio ascendat incipiendo a iuniore magistro, secluso magistro domus ut prius. Si uero fuerit in domo determinator unus vel plures, disputent de sophismatibus quolibet anno a tempore resumpcionis magistrorum in yeme usque ad proximum diem Iouis ante Quadragesimam bis in septimana uidelicet die Martis et die Iouis, et in fine cuiuslibet sue disputacionis dicta opponentis et respondentis, ad modum quo faciunt determinatores in scolis, recitare tenentur, et postea secundum opinionem propriam veritatem dicere et determinare, in qua disputacione tenetur sophista, si fuerit, respondere. Si autem non fuerit sophista in domo, respondeant bachillarii secundum eorum ordinem in domo, incipiendo a seniore, et ad quamlibet huiusmodi disputacionem tenentur omnes bachillarii et sophiste interesse, nisi ex causa legittima & a magistro approbata fuerint excusati, et tunc licencia ab eo petita pariter & obtenta; quam quidem disputacionem senior bachillarius, si magister non fuerit presens, tenetur regulare, cui omnes alii tenentur obedire, prouiso semper quod si placuerit dicto magistro domus disputare, respondere, replicare, interesse aut regulare predictas disputaciones tam logicas quam philosophicas quam eciam theologicas, quod hec poterit exequi ad eius libertatem, et in magistri absencia regat vicem gerens [1], et in eorum absencia senior socius presens qui non est arguens vel respondens.' Que quidem statuta nostra huiusmodi sic denuo facta in locis priorum statutorum de cetero precipimus et mandamus firmiter obseruari, iuramentis predictorum magistri et sociorum siue scolarium prius

[1] gerus, MS.

prestitis et aliis si qua visa fuerint hiis statutis contraria in aliquo non obstantibus quibuscumque; que omnia & singula uniuersitati vestre innotescere volumus per presentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum apposuimus. Dat' in nostro manerio de la Wykham anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo vicesimo septimo die mensis Augusti et nostre consecrationis vicesimo octauo.

578.

[A commission by Pope Alexander to examine and emend the statutes of the College.]

Alexander episcopus seruus seruorum dei venerabilibus fratribus filiis nostris dominis Wintoniensi & Noruicensi episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum magistri & scolarium aule collegii siue domus Ballioli Oxonie Lincolniensis diocesis peticio continebat quod bone memorie Simon quondam Londoniensis episcopus habens, virtute litterarum apostolicarum sibi directarum, statuta in dicta domo, prout equitas suaderet ac sibi melius expedire videretur, edendi facultatem, inter alia statuit quod statim electo in dicta domo magistro iniungat idem magister omnibus sociis quod fideliter eligant duos rectores viz. unum fratrem Minorem & alium magistrum de Uniuersitate Oxonie qui de sociis suis non fuerit, qui quidem rectores sic electi auctoritatem plenam habeant scolaribus dicte domus superuidendi, scolares in eorum societatem admittendi qui per eleccionem sociorum sibi fuerint presentati, ordinarie semel in anno ad minus visitandi domum & scolares predictos tempore congruo uel pluries, si necessitas uel communis utilitas hoc requirit, delinquentes contra formam statutorum puniendi tam pro leuibus quam pro grauibus delictis, si magister in leuiora corrigendo necligens inuentus fuerit seu remissus, & totaliter expellendi eos quos per accusacionem sociorum notorie viciosos inuenerint; quod quidem statutum licet pia intentione ut creditur conditum fuerat, dicti tamen rectores per illud electi quoniam ad eos de dicta domo siue collegio non pertinent[1] sed ab eo penitus existunt alieni, graues sepe scolaribus eiusdem collegii siue domus inferunt iniurias, eosdem molestant & inquietant, & ad obseruanciam quorundam antiquorum statutorum que a tempore iam immemorato in desuetudinem abierunt

D. 6. 14
1492–1503

[1] In *Balliol College*, by F. de Paravicini, where there is a translation of this deed the words are rendered 'having no care for the said house', instead of 'not being among those who are of the said house'.

ac aliorum que novis penitus sunt contraria compellere nituntur; et quia dicta pretensa statuta desuetudine penitus ut prefertur sublata ac alia novis contraria antea[1] non obseruauerint, a dicto collegio nonnullos scolares de facto & iniuste expulerunt, sicque studium quod in philosophia & sacra theologia dicti scolares impendere de salubri fundatorum ordinatione tenentur perturbant & inquietant, discensionumque & litium fomitem administrant in dicte domus siue collegii dampnum; quare pro parte dictorum magistri & sociorum fuit nobis humiliter supplicatum ut eis prouideri in hac parte de remedio oportuno dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, ne id quod prouisum erat ad remedium tendat ad noxam, vobis coniunctim & utrique vestrum per se diuisim de quorum circumspeccione in hiis & aliis gerimus in domino fiduciam pleniorem, prefatum collegium de novo stabiliendi, faciendique vobis aut alteri vestrum exhiberi omnia & singula statuta dicte domus, illa quoque interpretandi, declarandi, concordandi, moderandi, corrigendi & mutandi ac eis addendi & ex ipsis detrahendi aliaque de novo faciendi prout secundum deum & equitatem utilitati & quieti dicti collegii videritis aut alter vestrum viderit expedire; ac magistrum & scolares seu personas dicti collegii ab observatione statutorum huiusmodi que duxeritis seu duxerit alter vestrum moderanda, corrigenda, declaranda, seu mutanda auctoritate nostra absoluendi, ac contradictores & rebelles per sensuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendi plenam in domino concedimus auctoritate presencium facultatem; non obstantibus quibuscumque per dictum magistrum & scolares prestitis iuramentis seu si aliquibus communiter uel diuisim a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi uel excommunicari non possunt per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verba de indulto huiusmodi mencionem. Dat' Rome.[2]

579.

[Julius II appoints the Bishops of Winchester and Carlisle to revise the College statutes.]

Aug. 13, 1504

Iulius episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus Wintoniensi & Carleolensi episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Suscepti cura pastoralis officii nobis desuper, licet in-

[1] This word is doubtful.

[2] A copy on paper in a hand of c. 1520. The watermark of the paper is a hand with a star at the end of the middle finger.

sufficientibus meritis, commissi nos inducit ut votis illis per que personarum quarumlibet indempnitatibus et commoditatibus consuli possit libenter annuamus, ac ea prout expedire conspicimus favoribus prosequamur oportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte filiorum dilectorum magistri & scholarium collegii aule siue domus Ballioli Uniuersitatis Oxoniensis Lincolniensis diocesis peticio continebat quod alias bone memorie Simon episcopus Londoniensis vigore quarumdam litterarum apostolicarum sibi desuper ut asserebatur concessarum inter alia statuit & ordinavit ut electus pro tempore in magistrum scholarium dicti collegii statim facta eius electione iniungeret omnibus eiusdem collegii scholaribus siue sociis quod duos rectores [eligerent][1] videlicet unum ordinis Fratrum Minorum et alium magistrum secularem de dicta Uniuersitate et qui de dicto collegio non foret, et quod ipsi rectores sic electi plenariam auctoritatem haberent super intrudendis scholaribus dicte domus seu collegii, et scholares in eorum societatem admittendi qui per electionem sociorum siue scholarium predictorum eis presentati forent, ac semel ad minus quolibet anno visitandi domum siue collegium et scholares predictos tempore competenti uel pluries, si necessitas uel communis utilitas id exigeret, ac delinquentes contra formam statutorum puniendi tam pro levibus quam grauibus delictis, et quod[2] magister predictus negligens uel remissus foret corrigere delicta dictorum scholarium et totaliter expellere eos quos per accusationem sociorum notabiliter vitiosos inveniret, prout in eisdem statutis plenius contineri; et licet huiusmodi statutum & ordinatio pia ut creditur intentione factum & editum fuerit, tamen dicti rectores sic electi in pluribus que ad eos non pertinent se intromittunt et sepius graves iniurias scholaribus collegii huiusmodi inferunt eosque molestant & inquietant ac etiam ad obseruationem quorumdam antiquorum, que a tanto tempore citra cuius initii hominum memoria non existit in dissuetudinem abierunt, & aliorum que novis statutis dicti collegii penitus contraria sunt compellere nituntur, ac nonnullos scholarium ex dicto collegio de facto & iniuste propterea expulerunt, sic quod ipsi scholares cum dicto collegio recepti & admissi fuerunt ut philosophie et theologie studio incumberent ab eorum studio retrahantur, et propter huiusmodi statutorum tam per dictum Simonem episcopum quam forsan antea seu etiam post editorum contrarietatem et dissuetudinem seu non obseruantiam oportet pro quiete et tranquilitate scholarium predictorum singula statuta

[1] Not in MS.

[2] Read 'si' for 'et quod'; see no. 578.

predicta revideri, reformari, corrigi et emendari: Quare pro parte moderni magistri & scholarium predictorum nobis fuit humiliter supplicatum ut statuta predicta tam antiqua quam nova inspici & examinari ac moderari, corrigi & emendari mandare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur; Nos igitur qui singulorum qualitatibus diligenter consideratis cupimus ex commisso nobis pastorali officio singulis iuxta eorum humerorum[1] vires onera imponi, ne ulterius quam conveniat graventur, ac a singulis cupientibus scientia proficere impedimenta votum prohibentia removeri, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre committimus et mandamus, quatenus coniunctim per vos ipsos omnia et singula tam antiqua quam nova statuta et ordinationes dicti collegii tam per prefatum Simonem episcopum quam alios quoscumque edita & facta, etiam apostolica auctoritate confirmata, auctoritate vestra diligenter examinetis et discutiatis, illaque interpretemini, declaretis, concordetis, reformetis, corrigatis et moderemini et mutetis ac eis addatis et detrahatis seu si opus fuerit in totum cassetis et annulletis ac alia de novo faciatis, prout quieti & tranquillitati magistri & scholarium predictorum nunc & pro tempore existentium ac stabilitati dicti collegii cognoveritis expedire, faciatisque statuta huiusmodi sic per vos reformata, correcta, uel mutata seu interpretata & declarata, ac alia de novo edenda postquam edita fuerint per magistrum et scholares prefatos obseruari, contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione postposita compescendo, super quibus vobis et utrique vestrum coniunctim et divisim licentiam et facultatem concedimus per presentes; Non obstantibus [&c.]. Datum Rome apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominice MCCCCC quarto, Id. Augusti, pontificatus nostri anno primo.[2]

580.

[The Bishop of Winchester, having made new statutes for the College, writes to John Claymond to receive the oath to observe them from the members of the College.]

D. 6. 15
July 16, 1507

Ricardus permissione diuina Wintoniensis episcopus a sanctissimo in Cristo patre & domino nostro domino Iulio diuina prouidencia eo nomine papa secundo de & super reformatione, correctione, interpretacione, declaratione, moderatione & mutatione omnium & singu-

[1] humerum, MS.
[2] From the College Register, fol. 31; the original is not preserved.

lorum statutorum collegii aule siue domus de Balliolo Uniuersitatis Oxonie Lincolniensis diocesis tam per Symonem olim episcopum Londoniensem vigore ut asseritur quarumdam litterarum apostolicarum quam alios quoscumque editorum, & si opus fuerit in totum cassatione & annullatione eorundem & aliorum de nouo editione, una cum reverendo in Cristo patre domino Carleolensi episcopo cum illa clausula 'super quibus vobis & utrique vestrum coniunctim & divisim &c.' iudex delegatus sufficienter & legittime deputatus dilecto nobis in Cristo magistro Iohanni Claymond artium magistro collegii nostri sancte Marie Magdalene Oxonie presidenti salutem in omnium Saluatore cum benediccione. Cum nos in huiusmodi negocio legitime procedentes statuta quedam de quibus in nostris litteris testimonialibus siue instrumento publico desuper inde confectis siue confecto plenius liquet & apparet prout secundum deum & quieti ac tranquillitati collegii antedicti ac magistri & scholarium siue sociorum eiusdem nobis videtur expediens, auctoritate nobis in hac parte commissa, ediderimus, pronunciauerimus & promulgauerimus; quia uariis & arduis negociis dominum nostrum regem & regni Anglie rempublicam concernentibus prepediti sumus & de verisimili erimus quominus dictorum magistri & scolarium siue sociorum ad huiusmodi statutorum obseruacionem iuramenti prestacioni & receptioni interesse valeamus, prout deberemus & vellemus, si talia non obstarent; ad iurari igitur faciendum magistrum & scolares siue socios collegii antedicti de fideliter & inuiolabiliter observando omnia & singula statuta per nos in hac parte edita, pronunciata & promulgata cum cuiuslibet cohercionis canonice potestate, tibi de cuius fidelitate & circumspectionis industria in hac parte plurimum confidimus vices nostras tenore presencium committimus, teque commissarium nostrum ad premissa ordinamus, constituimus & deputamus, per presentes sigillo nostro sigillatas. Dat' in hospicio nostro apud Grenewiche xvi^mo^ die mensis Iunii anno domini M quingentesimo septimo et nostre translationis anno sexto.

581.

[The Bishop of Winchester writes to the members of the College, bidding them take an oath in the presence of John Claymond to observe the new statutes.]

Ricardus [&c. as in no. 580] deputatus dilectis nobis in Cristo magistro & scholaribus siue sociis collegii antedicti salutem [&c. as in no. 580] tranquillitati collegii antedicti nobis videtur [&c. **D. 6. 16 July 16, 1507**

as in no. 580] promulgauerimus, necnon dilecto nobis in Cristo magistro Iohanni Claymond artium magistro collegii nostri sancte Marie Magdalene presidenti ad recipiendum iuramenta uestra & cuiuslibet vestrum & iurari faciendum vos & quemlibet vestrum de fideliter & inviolabiliter obseruando omnia & singula statuta per nos ut premittitur edita, pronunciata & promulgata vices nostras commiserimus, vos & vestrum quemlibet tenore presencium & auctoritate qua fungimur in hac parte peremptorie monemus quatinus compareatis & quilibet vestrum compareat coram eodem magistro Iohanne Claymond diebus per ipsum limitandis in collegio vestro predicto iuramentum huiusmodi prestituri, facturique ulterius & recepturi quod iustum fuerit in hac parte. Dat' in hospicio nostro [&c. as in no. 580].

582.

[The College is allowed by the Bishop of Lincoln to have an oratory.]

D. 6. 17
July 13, 1293

Oliuerus permissione diuina Lincolniensis episcopus dilectis in Cristo filiis magistro & scolaribus domus de Balliolo in Oxonia salutem, graciam & benediccionem. Considerantes fructus multiplices qui ex uestro laudabili studio hactenus prouenerunt & in futurum sperantur deo auspice prouenturi, quietem quam possumus uobis cupimus prouidere. Cum igitur leccionum & disputacionum occupationibus inpediti parochialem ecclesiam infra cuius parochiam domus uestra predicta consistit pro diuinis audiendis adire ut pretenditis sepius nequeatis, nos uestris supplicationibus favorabiliter inclinati, ut in oratorio uestro infra domum uestram prefatam constructo, dum tamen decens fuerit & honestum, diuina uobis & familie uestre per sacerdotem sumptibus uestris propriis exhibendum faciatis licite celebrari licenciam uobis concedimus per presentes; ita tamen quod nullimoda sacramenta ecclesiastica in dicto oratorio ministrentur, & quoad oblaciones in eo faciendas, obuenciones, ac alia iura consimilia nullum matrici ecclesie predicte preiudicium generetur, quodque ut honor debitus eidem ecclesie seruetur ipsam in maioribus anni solempnitatibus uisitetis prout alii scolares suas ecclesias parochiales uisitare tenentur, & quilibet capellanus in dicto oratorio uobis ministraturus de indempnitate eiusdem ecclesie in presencia abbatis & conuentus Oseneye, ipsam in usus proprios possidencium, seu ipsius ecclesie uicarii prestet ad sancta dei ewangelia iuramentum. Que omnia & singula sub pena reuocacionis huiusmodi gracie nostre a uobis uolumus

obseruari. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Dat' apud Eynesham III Idus Iulii anno domini MCC nonagesimo tercio.[1]

A duplicate of no. 582. Both are sealed on strips. D. 6. 18

583.

[Bishop John Dalderby confirms the grant of his predecessor.]

Nouerint uniuersi quod nos Iohannes permissione diuina Lincolniensis episcopus litteras bone memorie domini Oliueri proximi predecessoris nostri non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte corruptas inspeximus, formam que sequitur continentes:—'Oliuerus [&c. as in no. 582] nonagesimo tercio.' Nos vero factum predecessoris nostri laudabile reputantes, illud quantum ad nos pertinet approbamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Dat' apud Godestowe II Non' Augusti anno domini M° tricentesimo.[2] D. 6. 19 Aug. 4, 1300

584.

[Gifts by the abbot of Reading towards the building of the chapel of St. Katherine.]

Nouerint uniuersi per presentes quod dominus Nicholaus de Quappelade dei gracia abbas Radyng' liberauit scolaribus domus de Balliolo in Oxonia viginti libras sterlingorum pro anima Ade le Poleter burgensis Radyng' ad fabricam capelle sancte Katerine eiusdem domus. Item dedit predictus abbas prefatis scolaribus decem marcas argenti ad fabricam capelle predicte quas ab eodem abbate per duo scripta obligatoria prius ex mutuo receperunt. Dedit eciam predictus abbas prefatis scolaribus unam fenestram vitream precii decem librarum & amplius pro capella supradicta. Summa tocius xxxvi libras xiii s. iiii d. Item dedit eis meremium, lath*es*, & alia minuta cum cariageo eorundem, que hic in specie non numerantur. In cuius rei testimonium tam predictus abbas quam predicti scolares presenti indenture alternatim sigilla sua apposuerunt. Hiis testibus, magistro Thoma Othom tunc Cancellario Uniuersitatis Oxonie, magistro Nicholao D. 6. 21 Jan. 1, 132$\frac{7}{8}$

[1] With a small private seal, $1\frac{3}{4}$ in. × $1\frac{1}{4}$ in., the Virgin and Child; illegible.

[2] Sealed with the same seal as no. 582. Endorsed in the original hand 'Concessio cantarie in domo scolarium de Balliolo facta a domino I. Lincolniensi episcopo'.

de Luceby tunc custode predicte domus, magistro Nicholao de Tyngewyke, & custode sigilli communis predictorum scolarium & multis aliis. Et remanebit una pars huius indenture penes predictos scolares & alia pars penes custodem altaris capelle beate Marie virginis infra abbathiam Radyng'. Dat' apud Radyng' die Veneris in festo Circumcisionis domini anno domini millesimo tricentesimo vicesimo septimo.[1]

585.

[Bishop Thomas Beke confirms the grant of his predecessors.]

D. 6. 22
Jan. 29, 1342/3

Nouerint uniuersi nos Thomam permissione diuina Lincolniensem episcopum litteras pie memorie domini Henrici nuper Lincolniensis episcopi proximi predecessoris nostri sigillo suo consignatas recepisse & diligenter inspexisse sub continencia infrascripta. Nouerint uniuersi quod nos Henricus permissione diuina Lincolniensis episcopus litteras bone memorie domini Iohannis proximi predecessoris nostri non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte corruptas inspeximus, formam que sequitur continentes: 'Nouerint [&c. as in no. 583] tricentesimo.' Unde nos factum predecessorum nostrorum in hac parte habitum approbantes ac eciam acceptantes in huiusmodi approbacionis & acceptacionis testimonium nostrum sigillum presentibus fecimus hiis apponi. Dat' apud Bannebur' XIIII Kal' Decembris anno domini millesimo tricentesimo vicesimo. Nos autem factum predecessorum nostrorum habitum in hac parte acceptantes ac eciam approbantes, in premissorum testimonium sigillum nostrum fecimus hiis apponi. Dat' apud Parcum Stowe IIII Kal. Februarii anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo secundo et consecrationis nostre primo.

586.

[The Bishop of Lincoln grants permission to the College to have a chapel.]

D. 6. 23
Oct. 29, 1346

Thomas permissione diuina Lincolniensis episcopus dilectis filiis magistro & scolaribus aule de Balliolo Oxonie nostre diocesis salutem, graciam & benedictionem. Deuotionem vestram qua diuinis cupitis

[1] With a red seal, $2\frac{1}{2}$ in. × $1\frac{3}{4}$ in., apparently a bishop in a mitre and chasuble with a book and pastoral staff, S' NICHI' DEI GRA . . . [EPISCOPI] . . . ILCE . SIS. Was he a suffragan bishop?

officiis interesse in domino commendantes, vobis ut in capella vestra infra mansum vestrum in parochia ecclesie sancte Marie Magdalene Oxonie predicte constructa, dummodo decens fuerit & honesta, ac eorum quorum interest consensus accedat, diuina vobis & libere familie vestre celebrari facere valeatis & vos, si qui vestrum fueritis constituti in sacerdotio, celebrare licenciam quantum in nobis est tenore presencium concedimus specialem; ita tamen quod nullimoda sacramenta ecclesiastica inibi ministrentur, nec oblaciones inibi facte, si que sint imposterum, a matrice ecclesia predicta aliqualiter subtrahantur, set ipsius ecclesie rectori seu eius locum tenenti absque diminucione reddantur, nec eidem ecclesie seu ipsius rectori fiat per huiusmodi licenciam nostram preiudicium aliquale, alioquin huiusmodi licencia nullius penitus sit momenti. Dat' apud Parcum Stowe IIII Kal. Novembris anno domini MCCC quadragesimo sexto et consecrationis nostre quinto.

587.

[Pope Urbanus V grants permission to the College to use a chapel.]

D. 6. 20 April 17, 1364

Urbanus episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis magistro & scolaribus collegii clericorum domus de Balliolo de Oxonia Lincolniensis diocesis salutem & apostolicam benediccionem. Pia deuotorum deo & ecclesie desideria que diuini cultus augmentum ac ipsorum quietis comodum respicere dinoscuntur apostolico fauore prosequimur, eisque benignum impertimur assensum. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra [peticio][1] continebat quod vos in quadam capella sita infra septa domus vestre de Balliolo de Oxonia Lincolniensis diocesis iuxta statuta dicte domus per nos iuramento vallata singulis diebus per proprios sacerdotes diuina officia facere celebrari ac certis diebus eisdem misse & horis canonicis personaliter interesse tenemini. Nos vestris in hac parte supplicacionibus inclinati ut in capella predicta singuli vestrum qui fuerint in presbiteratus ordine constituti & alii presbiteri dicte domus missam & alia diuina officia, eciam in festis maioribus submissa & alta uoce, iure parochialis ecclesie & cuiuslibet alterius in omnibus semper saluo, celebrare valeatis, quibuscumque constitucionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, deuocioni uestre auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc

[1] Not in MS.

paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat' Auinion' XVI Kal. Maii pontificatus nostri anno secundo.[1]

588.

[John de Buckingham, Bishop of Lincoln, grants permission to the College to have a chapel.]

D. 6. 24 May 14, 1368

Iohannes permissione divina Lincolniensis episcopus dilectis filiis magistro & scolaribus aule de Balliolo in Uniuersitate Oxonie nostre diocesis constructe salutem, graciam et benediccionem. Ut in capella sancte Katerine infra mansum vestrum in dicta Uniuersitate constructa, dum tamen decens fuerit et honesta et eorum quorum interest ad id consensus accedat, possitis officia celebrare & per alios capellanos idoneos celebrari facere, ita tamen quod nulla sacramenta ecclesiastica inibi ministrentur nec oblaciones si que fient a parochiali ecclesia, in cuius parochia dicta capella est situata, aliqualiter subtrahantur, nec rectori seu vicario ipsius ecclesie per hoc fiat preiudicium aliquale, licenciam vobis tenore presencium concedimus specialem, quamdiu nobis placuerit duraturam. Dat' apud Vetus Templum Londonie XIIII die Maii anno domini MCCC sexagesimo octauo et nostre consecrationis quinto.

589.

[Ordinances made by the College.]

Oct. 21, 1538

Decreta magistri et sociorum collegii de Balliolo Uniuersitatis Oxonie anno salutis nostre MDXXXVIII, die mensis Octobris vicesimo primo feliciter incipiunt.

In primis ordinatum est et omnium suffragiis sancitum quod designabitur singulis annis unus sociorum predictorum qui erit dictis magistro et sociis a literis pro anno futuro in omnibus negociis statum collegii uel eiusdem decreta concernentibus, et quod ille eo functurus munere nominabitur singulis annis (quisquis fuerit) infra triduum post festum sancti Luce eo modo sicut ceteri officiarii, recepturus pro salario eo anno quo tali fungitur officio vi s. viii d.

[1] Not an original, but a contemporary copy.

Item ordinatum est et decretum uniuersorum consensu quod magister Cosinnus fungeretur prelibato officio pro anno proxime futuro post datum presencium.

Item eisdem anno et die nominabantur Mr. Thomas Parke & Mr. Iohannes Smythe decani, Mr. Cristoferus Worseley et Mr. Robertus Cosyn thesaurarii dicti collegii.

Item eodem tempore unanimi consensu et assensu sub sigillo nostro communi concessum est venerabili vidue domine Anne Danvers quod singulis annis celebrabuntur exequie prout liquet in compositione ipsam concernente statutorum libro inscripta pro anima eiusdem et benefactorum suorum, propterea quod elargita est predictis magistro et sociis xxx libras ad reparandum edificia ac tenementa per Robertum Beamond nobis concessa, tum temporis infelici omine ignis iniuria prope exhausta, in parochia sancte Margarete Patens Londonie situata.

Item concessum est ut si viginti libre possint erogari a predicta domina Anna Danvers preter summam prefatam per magistrum Iohannem Foster eius capellanum ac nuper nobis consocium quod tunc magister in illius exequiis recipiet xii d. & quilibet socius viii d.; & quilibet scholasticus ii d.; nempe ea adiecta summa facile creditur edificia ita posse ornari ac polite construi ut redditus annuales ac profectus excrescant et excedant pristinam dictarum domorum summam annuatim viginti plus minus solidis.

Item eodem die licentia impetrata erat, causa legitima coram magistro tribusque senioribus probata, pro magistro Gulielmo Wright quatenus illi abesse liceat per totum anni curriculum, ministraturo episcopo Lincolniensi eodem anno.[1]

590.

[Ordinances made by the College.]

Decreta magistri et sociorum ac dispensaciones et alia concessa in capella collegii de Balliolo anno domini MCCCCCXLII. **Oct. 17–Dec. 10, 1542**

In primis decimo septimo Octobris interrogabat magister socios virtute iuramenti, presentibus tunc omnibus sociis, an illorum aliquis affirmaret eundem magistrum laborasse privatim aut publice pro electione socii comitatus Eboracensis a tempore ultime electionis ante datam presencium; et unusquisque respondebat quod non.

Et eodem die magister Ioannes Smyth socius legit in praesentia

[1] From the College Register, fol. 44.

magistri et sociorum quandam submissionem sue obedientie erga eundem magistrum sibi iniunctam ab episcopo Lincoln'.

Item decimo nono die eiusdem mensis eliguntur decani Mr. Thomson et dominus Stop', et bursarii Mr. Browne & dominus Broelde.

Item vicesimo die eiusdem mensis concessa est licentia magistro Cosin quatenus liceat abesse ad placitum per integrum annum.

Item eodem die concessa est licentia domino Frauncis quatenus abesse liceat ad placitum per integrum annum.

Item vicesimo primo die advocatio ecclesie parochialis de Fillingham data est magistro Georgio Coot' sacre theologie doctori atque tum temporis magistro collegii de Balliolo ex consensu magistri et maioris partis sociorum.

Item vicesimo primo die magister loci in sacello coram sociis dedit bursariis collegii prout ei ab episcopo Lincolniensi imperatum erat pro communiis unius mensis v s. iiii d.

Item vicesimo secundo die Novembris concordatum est inter magistrum et omnes socios electionem socii iam tum vacantis differendam in annum sequentem.

Item eodem die concordatum est inter magistrum et tres seniores socios viz. magistros Smythe, Cosyn et Thomson oportunum esse quibusdam de causis electionem socii vacantis differendam per annum.

Item decimo die Decembris magister in presentia sociorum in capella mandatum exhibuit magistro Nowell uti obedienter et pacifice se gereret erga illum et socios iuxta tenorem statuti.[1]

591.

[Injunctions by John Longland, Bishop of Lincoln.]

Oct. 31, 1542

Illustrissimi[2] in Christo principis et domini nostri, domini Henrici octavi dei gracia Anglie, Francie et Hibernie regis, fidei defensoris et in terra ecclesie Anglicane et Hibernice supremi capitis ad exercendum iurisdictionem ecclesiasticam infra diocesim nostram Lincolniensem et alia loca ei subiecta, Johannes permissione divina Lincolniensis episcopus visitator collegii Ballioli infra Universitatem Oxonie etiam auctoritate regia limitatus et deputatus, dilectis nobis

[1] From the College Register, fol. 52.
[2] From the register of Bp. Longland, preserved at Lincoln, fol. 225.

in Christo magistro et sociis collegii antedicti salutem in Domino. Cum nos nuperrime collegium vestrum huiusmodi per commissarium nostrum in ea parte specialiter deputatum actualiter visitantes nonnulla in eodem reformacione digna comperimus & invenimus prout in compertis, detectis, et delatis in eadem visitacione nostra satis liquet; vobis igitur & cuilibet vestrum has iniuncciones nostras subsequentes transmittimus, quas a vobis et quolibet vestrum inviolabiliter observari volumus, quatenus vos et quemlibet vestrum respective concernunt, sub penis in eisdem iniunccionibus nostris inferius descriptis et limitatis, et quod huiusmodi iniuncciones nostre semel in quolibet anni quarterio publice legantur in presencia omnium sociorum infra collegium predictum.

Inprimis iniungimus tam magistro et sociis quam scolaribus dicti collegii ut amodo sint presentes, diligentes et devoti in divinis officiis legendis et cantandis in choro infra capellam collegii predicti diebus dominicis et festivis ac aliis temporibus per statuta limitatis iuxta formam et tenorem illius statuti de Cultura dei, sub pena in eodem statuto limitata, quam penam volumus quod magister dicti collegii et in eius absentia senior socius imponant cuilibet delinquenti prius vocato et convicto sub eadem pena, ab eisdem et eorum utroque incurrenda.

Item volumus & iniungimus quod capitulum de electi et probati admissione inter statuta dicti collegii contentum et insertum inviolabiliter & inconcusse amodo observetur sub pena in eodem statuto limitata. Et quod decetero neque magister dicti collegii neque aliqui socii eiusdem eligant novos socios respectu alicuius patrie, sed in sociis eligendis solum considerent virtutem et aptitudinem discipline ac bonorum morum et non patriam aut consanguinitatem sub pena violacionis iuramenti sui in prima admissione ad dictum collegium prestiti, ac quod deinceps non eligantur socii in idem collegium de aliquo uno comitatu infra regnum Anglie ultra numerum quatuor sub pena predicta.

Item iniungimus magistro & seniori socio dicti collegii qui nunc sunt et suis successoribus quibuscumque futuris quod eorum nullus scolarem aliquem in dictum collegium admittat nisi prius ab eodem scolari, datis fideiussoribus vel pignore, caucionem ydoneam recipiat pro batellis et communiis suis collegio quolibet termino persolvendis; ac casu quo magister qui pro tempore erit et in eius absencia senior socius in hac parte negligentes et remissi fuerint, volumus quod idem magister vel senior socius qui aliquem scolasticum contra formam et

tenorem huius iniunccionis nostre in collegium prelibatum recepit aut admisit, pro batellis et communiis eiusdem scolaris vel eorundem scolarium collegio huiusmodi ex eorum propriis sumptibus satisfacient et persolvent.

Item iniungimus et mandamus magistro et sociis necnon aliis studentibus in eodem collegio quod veram et continuam charitatem, unitatem, concordiam et pacem adinvicem ante omnia studeant observare. Et quod nullam decetero eorum aliquis alteri dabit occasionem discordie sub pena contravenienti huic nostre iniunccioni imponenda pro prima vice subtractionis communiarum suarum per quindenam, pro secunda vice per mensem, ac pro tercia sub pena expulsionis a collegio prelibato. Volumus insuper quod si de cetero aliqua discordia seu litis materia inter aliquos huius collegii socios, scolares, studentes aut perhendinantes, viz. sogeners, oriri contigerit, quod statim magister eiusdem collegii si presens fuerit et in eius absentia senior socius convocet coram eo et sociis partes sic iurgantes et litigantes, ac bono modo per eorum aut eorum alterius discrecciones ad unitatem et concordiam persuadeantur et inducantur si fieri possit. Et si adeo aliquis eorum protervus, inobediens aut contumax in hac parte fuerit, quod magistri dicti collegii vel senioris socii et maioris partis sociorum presentium, seu saltem duorum seniorum cum illis, consilio, decreto, ordinacioni et determinacioni obedire recusaverit aut parere noluerit, extunc totaliter recusans aut recusantes donec ordinacioni et decreto huiusmodi parere voluerit aut voluerint ipso facto perdet seu perdent communias suas infra collegium predictum donec obedientes fuerint in hac parte. Et si infra quin-
fol. 226 a denam noluerint persuaderi in hac | parte extunc volumus ipsum delinquentem seu delinquentes ipso facto pro non socio reputandum aut reputandos fore.

Firmiter etiam iniungimus, volumus et mandamus quod unusquisque socius et scolaris collegii antedicti sit obediens magistro eiusdem iuxta formam et tenorem statutorum collegii predicti sub pena in eisdem contenta et limitata et per visitatorem absque aliqua remissione inferenda. Ac quod sub eadem pena honeste, modeste, pure et caste vivant, et quod nullus eorum decetero accedat ad tabernas vinarias et domos cervisianas seu ad alias domos infra precinctum Universitatis Oxonie, in quibus vinum aut cervisia passim et communiter venundantur, sub pena in statutis dicti collegii limitata. Acetiam quod non accedant aut eorum aliquis scienter accedat ad aliquas domos suspectas infra precinctum Universitatis seu extra neque ad aliquam

personam suspectam aut personas suspectas sub pena expulsionis a collegio.

Insuper iniungimus quod nullus sociorum collegii predicti recedat ab eodem collegio extra precinctum Universitatis Oxonie, seu alias quomodo libet infra precinctum eiusdem pernoctet, nisi ex causa racionabili primo admissa et approbata per magistrum aut in eius absentia seniorem socium tunc presentem sub pena expulsionis a collegio predicto.

Item iniungimus & mandamus tam magistro et sociis quam scolaribus collegii prenarrati quod decetero nullam mulierem in cubiculum seu cameram suam eorum aliquis recipiat seu inducat sub pena expulsionis a collegio, nisi ex casu aliqua mulier nobilis vel mater alicuius socii vel scolaris dicti collegii ad ipsum collegium venerit; tunc licebit magistro collegii in presentia duorum sociorum ad minus predictas mulieres modo predicto venientes in suum cubiculum ad prandium aut cenam sumptibus suis propriis recipere.

Iniungimus etiam et mandamus magistro et sociis ac scolaribus collegii sepefati quod lotrices venientes ad dictum collegium pro linthiaminibus lavandis, recipiendis, aut deliberandis stent infra turrim sive porticum ianue et non interius ingrediantur; ibique eadem linthiamina recipient et sic tradantur eisdem lotricibus. Quod si magister, senior socius, thesaurarii et decani in hac parte negligentes fuerint permittendo aliquam lotricem ad hostium cubiculorum suorum aut alicuius socii vel scolaris aut studentis accedere vel intrare, eorum quilibet perdat communias suas per septimanam qualibet vice quo [*sic*] in observacione huius iniunccionis nostre negligens repertus fuerit.

Item iniungimus et mandamus quod lecture, disputaciones, et replicaciones tam in logica et philosophia quam in theologia diligentissime observentur iuxta vim, formam, et effectum statuti dicti collegii de disceptacionibus et exercitamentis scolasticorum ac alterius statuti de disceptatione in theologia, sub pena in eisdem statutis limitata.

Insuper iniungimus et mandamus quod thesaurarii et bursarii collegii antedicti qui nunc sunt et pro tempore fuerint deinceps non custodiant seu eorum aliquis custodiat in manu aut camera suis pecuniam aut alia bona eiusdem collegii preter illam pecuniam que ob necessitatem dicti collegii infra unum mensem ad summum est exponenda et refundenda. Sed iuxta statutum ipsius collegii pecuniam eiusdem infra cistam trium clavium fideliter recludant. Et quod tres socii in custodes clavium dicte ciste iam electi et imposterum eligendi seu eorum deputati sive deputandi semper sint presentes quum aliqua pecunia in cistam ante-

dictam imponetur aut extrahetur tantum in usum collegii antedicti. Volumus insuper singulis annis imposterum unam indenturam fieri inter magistrum collegii predicti et custodes clavium ciste antedicte ex una parte ac thesaurarios domus predicte ex altera. In cuius indenture tenore volumus in una parte inscribi omnes summas pecuniarum ad usum collegii eo anno receptarum et in eisdem notari quo die, a quo et quantum fuerit receptum; ex altera parte illius indenture volumus quod notentur omnes summe pecuniarum per thesaurarios ad usum collegii receptarum; et semper volumus in eisdem notis contineri non solum summam pecunie recepte verum etiam diem et mensem quibus dicta pecunia recipitur, ac quod in apertura ciste antedicte omnino sint presentes tres custodes clavium ciste predicte aut eorum deputati, sub pena thesaurariis et bursariis hanc iniunccionem nostram violantibus et infringentibus infligenda et imponenda, subtraccionis communiarum suarum pro qualibet vice per mensem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Dat' in manerio nostro de Wooburne ultimo die mensis Octobris anno domini MDXLII et nostre consecrationis XXII.

XIV. MISCELLANEOUS EARLY DEEDS ABOUT THE DEBTS OF JOHN DE BALLIOL. 592–605.

592.

[Maurice Akarsan owes 180 marks to John de Balliol.]

D. 6. 25
c. 1251

Omnibus has litteras uisuris uel audituris Mauricius Akarsan salutem. Nouerit uniuersitas uestra me obligatum esse pro me & heredibus meis uel assignatis meis nobili uiro domino Iohanni de Balliolo domino meo & heredibus suis uel assignatis suis in solucione nonies uiginti marcarum persoluendarum, termino solucionis uiginti marcarum incipiente ad Assumcionem beate Marie anno domini MCC quinquagesimo secundo, & uiginti marcarum ad Assumcionem beate Marie anno domini MCC quinquagesimo tercio, et sic singulis annis uiginti marcas ad Assumcionem beate Marie donec dicte nonies uiginti marce dicto domino Iohanni uel heredibus uel assignatis suis plenarie fuerint persolute. Ego uero Mauricius Akarsan obligo me & heredes meos & assignatos meos per omnia bona nostra mobilia & immobilia, habita & habenda, ubicumque inuenta fuerint distringendos & dicta bona non replegienda, donec de predictis nonies uiginti marcis dicto domino

Iohanni & heredibus suis uel assignatis suis plenarie fuerit satisfactum ad terminos prescriptos. Et in huius predicte obligacionis testimonium huic scripto sigillum meum apposui. Hiis testibus, domino Roberto de Hamtona, domino Henrico de Mundeuille, domino Alano de Stubhil, domino Ada capellano de Botel, Ada de Twynam, Andrea de Kirconeuel, Gilespoc filio Gilbothyn & multis aliis.

593.

[Goceline de Westwic owes John de Balliol 747 marks.]

Omnibus [&c.] Gocelinus de Westwic salutem. Nouerit uniuersitas uestra me obligasse & abandonasse domino Iohanni de Balliolo domino meo omnia bona mea mobilia & immobilia, presencia & futura ubicumque fuerint inuenta, terras omnes & tenementa omnia que presentialiter uel in futuro habere potero quoquomodo; ita quod nec ego nec aliquis pro me nec per me aliquid de predictis bonis meis mobilibus uel immobilibus, terris uel tenementis dare, uendere uel aliquo modo alio a predicto domino Iohanne elongare poterimus, donec predicto domino Iohanni uel suo certo attornato qui hoc scriptum penes se habuerit de septies centum & quadraginta septem marcis in quibus ei racionabiliter teneor plenarie satisfecero. Pro quibus omnibus & singulis firmiter obseruandis & inuiolabiliter adimplendis renunciaui pro me & heredibus meis ac testamenti mei executoribus, me, quod absit, ante plenam satisfaccionem omnium uel alicuius premissorum in fata decedente, omni iuris auxilio canonici uel ciuilis & omni iuris remedio quod michi uel heredibus meis uel testamenti mei executoribus aliquo tempore uel aliquo modo competere uel prodesse poterit in posterum. Et ad maiorem omnium premissorum securitatem, huic scripto sigillum meum apposui. Hiis testibus, domino Nicholao de Franckeuile, domino Odinello filio Radulfi, domino Adam de Pinconio capellano, Iohanne de Croft & aliis. Actum apud Castrum Bern' die Mercurii proxima post festum sancte Scolastice uirginis anno gracie MCC quinquagesimo septimo.

D. 6. 26
Feb. 13, 1257/8

594.

[Thomas de Musgrave, among other debts, owes John de Balliol 100 shillings or two tuns of wine.]

Del an del Incarnaciun de nostre sengyur mil e deus cent saysaunt e cinc', a la sumptiun de nostre Dame, a Burg', isi est conuenu entre sire Iohan de Balyolf de une part e sire Thom' de Musgraue de autre

D. 6. 31
Aug. 15, 1265

part des contekes muz parentre eus, Ceoestasauer del enprisunement mestre Willm' de Genellestone e de la Dame de Stirkelaund sa sore; ke le uaunt dist Thom' ad iure e leument graunte ke il eststerra al serment leuauntdist mestre Willm' cumben il paya en deners par achesun del enprisunement a Appelby e il ly restorra. E en drayt de la dame de Stirkelaund est il isi couenu ke elle iurra say autre[1] de dame u de prode feme ke quaunt ke elle ad perdu en deners u en derres ke mayme cely Thom' restorra. E en drayt de le despit ke fut fet a sire Iohan de Balyolf maymes celly Thom' ly durra deus toneus de uin u cent souz a sa renable sumuns. A tutes cestes choses leument tenir e garder maymes le Thom' ad troue ces pleges, ceoestasauer sire Iohan de Moreuille, sire Thom' de Helbec', sire Henr' de Stanelay, e sire Thom' de Hastinges, e suuerayns pleges e maynpernurs sire Peres de Brus e sire Rog' de Loncastre, e a grenyur surete a cest escrit unt mis lur seus.

595.

[Thomas de Musgrave owes John de Balliol 123 marks.]

D. 6. 28
Aug. 25, 1265

Omnibus [&c.] Thomas de Musgaue [*sic*] salutem in domino. Nouerit uniuersitas uestra me teneri domino Iohanni de Balliolo in sexcies uiginti & tribus marcis bonorum & legalium sterlingorum eidem domino Iohanni soluendis apud Castrum Bernardi uel suo assignato ad tres terminos subscriptos, uidelicet quadraginta marcas ad festum sancti Michaelis anno gracie MCCLX quinto & quadraginta marcas ad Purificacionem beate Marie sequente [*sic*] anno eodem & quadraginta & tres marcas ad festum Pentecosten anno gracie MCCLX sexto. Et ad hanc pecuniam ad tres dictos terminos fideliter sine fraude persoluendam tactis sacrosanctis sacramentum prestiti corporale. Et ad maiorem huius rei securitatem dicto domino Iohanni de Balliolo omnia bona mea mobilia ubicumque in rengno Anglie fuerint inuenta obligo, ita quod si de solucione dicte pecunie ad aliquem terminorum prescriptorum, quod absit, defficero [*sic*], dictus dominus I. sine contradiccione mei uel alicuius meorum dicta bona mea possit retinere & assingnare & de eis uendere ad quantitatem principalis debiti non soluti ac omnium iacturarum & dampnorum que racionabiliter poterit monstrare occasione pacacionis ad aliquem dictorum terminorum non facte se incurrisse. In cuius rei testimonium huic scripto sigillum meum apposui. Dat' apud Kirkeswald in crastino sancti Bartholomei anno gracie MCCLX quinto.

[1] Say autre 'herself being the second', i.e. herself and another.

596.

[Hugo de Euere owns that a debt to William de Valence of £108 is due from him, not from John de Balliol.]

Omnibus Cristi fidelibus presens scriptum uisuris uel audituris Hugo de Euere salutem in domino. Sciatis me teneri domino Iohanni de Balliolo ad aquietandum ipsum uersus dominum Willelmum de Ualenciis de centum & octo libris sterlingorum in quibus ipse dominus Iohannes dicto domino Willelmo tenetur pro me, soluendis dicto domino Willelmo uel eius attornato litteras suas de aquietancia defferenti ad duos terminos subscriptos, uidelicet ad festum Natiuitatis beati Iohannis Baptiste anno gracie MCCLX septimo apud Eboracum quinquaginta & quatuor libras & ad festum sancti Martini in hyeme proximo sequens anno eodem apud Werkeworth quinquaginta & quatuor libras, omni occasione & ulteriori dilacione postposita; ad quam adquiet*acionem* fideliter & bene dictis terminis faciendam obligo me & heredes meos & omnia bona nostra mobilia & immobilia ubicumque fuerint inuenta cohercioni & districcioni baronum de Scaccario domini regis qui pro tempore fuerint, ut possint me & heredes meos per predicta bona nostra distringere pro predicta pecunia una cum dampnis & expensis sibi si que occasione tardate solucionis facta fuerint refundendis, quemadmodum pro debitis domini regis distringere consueuerunt. In cuius rei testimonium has litteras meas eidem domino Iohanni fieri feci patentes. Dat' apud Stratford die Sabbati in uigilia Pentecosten anno regni regis Henrici filii regis Iohannis quinquagesimo primo.

D. 6. 27 June 4, 1267

597.

[Baldwin Wake owes 100 marks and more to John de Balliol.]

Omnibus [&c.] Baldewinus Wake salutem in domino. Cum per me & homines meos ablata fuissent de bonis domini Iohannis de Balliolo centum marce bonorum & legalium sterlingorum, quatuor lorice, tria paria coopertoriorum ferri, unum pallium, unum par caligarum ferri, una targia, unum uestimentum, unum quirre, unum wambeson, unum coopertorium panni de serico et sexdecim iumenta cum nouem pull*anis* de parco suo de Fodringeye effugatis, dicto domino I. aud [*sic*] heredibus suis uel assignatis teneor & hoc presenti scripto obligor quod quam cito michi suppetant facultates unde sibi de predictis dampnis satisfacere poterim centum marcas bonorum

D. 6. 29 [c. 1266]

sterlingorum soluam, una cum precio aliarum rerum prenominatarum secundum quod estimari poterint per racionabilem & legitimam extensionem. Et quia de omnibus dampnis dicto domino I. per me et meos illatis non recolo, obligacione predicta astrictus teneor quod omnia dampna quotquot predictus dominus I. per sacramentum legalium hominum suorum inquirere poterit, quod eidem in castro suo de Fodringeie & extra per me uel meos illata fuerint, plenarie restaurabo sine diminucione. Et ad plenam restauracionem premissorum faciendam & eorum que inquiri poterint ut predictum est, subicio omnes terras & tenementa mea habita & habenda, omnia bona mea mobilia & immobilia ubicumque in quocumque comitatu rengni Anglie fuerint inuenta districcioni uicecomitum comitatuum eorundem, qui eo tempore fuerint, quo michi suppeterint facultates, qui me ad premissorum solucionem & eorum que inquiri poterint ut predictum est de die in diem compellant; renunciando omni impetracioni que ad dictum negocium impediendum a curia Cristianitatis seu regali possit impetrari, cauillacioni, dilacioni, omnique cessante apellacione. Et ad istam conuentionem de dampnis dicti domini I. ut predictum est restaurandis fideiussores inueni, scilicet dominum Robertum de Neuile, dominum Ricardum Foliot, dominum A. filium Comitis, et dominum Robertum de Stoteuille, quorum quilibet principalem debitorem tam restauracionis predictorum quam expensarum & dampnorum si que dictus dominus I. fecerit uel habuerit pretextu dicte restauracionis non facte se constituit. Qui ad omnium premissorum maiorem firmitatem faciendam sigilla sua una cum sigillo meo huic scripto apposuerunt.[1]

598.

[A debt of Hugh de Balliol to his father's executors.]

D. 6. 30
1269

Omnibus [&c.] Hugo de Balliolo filius & heres quondam domini Iohannis de Balliolo salutem in domino. Noueritis nos teneri exequtoribus [*sic*] testamenti quondam predicti domini Iohannis patris mei in decem marcis bonorum & legalium sterlingorum pro duobus equis ad opus nostrum ab eisdem emptis, soluendis apud Foderinghey eisdem uel eorum alteri infra Pentecosten proximo ¡uenturum anno 'gracie millesimo ducentesimo sexagesimo nono sine ulteriori dilacione; ad quam quidem solucionem fideliter ad terminum predictum obseruandam obligamus nos ecclesiastice districcioni, ut ad predictam solucionem

[1] Of the five seals only that of Baldwin Wake remains.

modo predicto obseruandam per censuram ecclesiasticam distringamur. Et si contingat predictos exequtores dampnum, molestiam, custus aut grauamen incurrere, tam [de] huiusmodi expensis quam principali debito uolumus predictis exequtoribus obligari & plenarie suis simplicis [*sic*] dictis sine ulteriori probacione satisfacere. In cuius [&c. sealing].[1]

599.

[Alan Fitz-Count owes £100 to the executors of John de Balliol.]

Uniuersis presens scriptum uisuris uel audituris Alanus filius Comitis miles salutem in domino. Noueritis me teneri & hoc scripto esse obligatum dominis Hugoni de Eure, Henrico Spring', magistro Stephano de Balliolo & aliis executoribus testamenti domini Iohannis de Balliolo in centum libris bonorum sterlingorum soluendis eisdem uel alicui eorum hoc scriptum penes se habenti ad domum fratrum Predicatorum de Iarum ad terminos subscriptos uidelicet xxvi li. xiiis. iiiid. ad Pentecosten anno domini MCC octogesimo tercio, et xxli. ad festum sancti Martini in hyeme proximo sequens, et xx li. ad Pentecosten anno domini MCC octogesimo quarto [£20 on St. Martin's day, and £13 6*s.* 8*d.* at Pentecost 1285. The sheriff of Yorkshire may distrain on his goods, if the terms are not kept]. Nos autem Willelmus de Percy de Kildale, Iohannes Haunsard, Iohannes de Eggesclif milites, Henricus de Meynil clericus, Stephanus Guer de Ingelby, & Adam de Kyrkeby huiusmodi solucionis plegii necnon & principales debitores & quemlibet nostrum in solidum constituentes obligamus nos omnibus & singulis modis quibus predictus dominus Alanus se obligauit ad predicte pecunie solucionem una cum dampnis & expensis ut predictum est, si contingat ipsum deficere, quod absit, & sigilla nostra una cum sigillo predicti domini Alani presenti scripto apposuimus in huius rei testimonium.[2] D. 6. 32 [c. 1282]

600.

[Stephen de Balliol admits that he owes £49 to the Principal and Scholars of the House of Balliol.]

Uniuersis sancte matris ecclesie filiis ad quos presens scriptum peruenerit Stephanus de Balliolo rector ecclesie de Mitford salutem D. 6. 36 Oct. 8, 1284

[1] SIGILLVM HVGONIS DE BAILLOL. S' ALANI FILII CONITIS [*sic*] THOME.

[2] Seal, circular, 1¼ in., a lion passant

in domino. Noueritis me teneri & firmiter obligari magistro Waltero de Foddringhey principali & sociis suis scolaribus domus dicte de Balliolo Oxonie in quadraginta nouem libris bonorum & legalium sterlingorum soluendis eisdem Oxonie uel suo certo attornato has litteras deferenti ad terminos subscriptos, uidelicet ad festum sancti Martini in hyeme anno domini MCCLXXX quarto decem libras, & ad mediam Quadragesimam proximam sequentem nouemdecim libras & decem solidos & ad festum Pentecosten proximo sequens nouemdecim libras & decem solidos sine aliqua contradiccione uel cauellacione seu ulteriori dilacione; ad quam solucionem dicte pecunie plenarie faciendam loco & terminis supradictis obligo me & omnia bona mea mobilia & immobilia ubicumque fuerint inuenta cohercioni cuiuscumque iudicis ecclesiastici, et precipue domini R. Cancellarii Uniuersitatis Oxonie & successoris eius, qui pro tempore fuerit, dominorum episcoporum Dunelmensis & Lincolniensis & eorum officialium, quem horum maluerint eligere scolares predicti, qui licite sine cause cognicione possint me compellere non solum per sequestracionem bonorum meorum uerum eciam per sentenciam excommunicacionis quam sine strepitu iudicii uolo in me fulminari de die in diem per eosdem uel eorum quemcumque si contingat me, quod absit, in solucione dicte pecunie loco & terminis predictis in toto uel in parte deficere. Obligo eciam me in forma qua prius ad satisfaciendum dictis scolaribus tam de dampnis quam expensis, si que uel quas contigerit eos incurrere, pro defectu solucionis pecunie predicte, modo predicto plenarie non facte. Et ad maiorem huius rei securitatem dominum Hugonem de Euyr germanum meum fideiussorem inueni, qui presentis scripti tenore non solum se fatetur fideiussorem uerum eciam se constituit principalem debitorem, qui se obligat per omnia bona sua cohercioni & districcioni cuiuscumque iudicis ecclesiastici uel secularis prout melius poterit scolaribus predictis prodesse & sibi magis obesse tam ad restitutionem dampnorum & expensarum quam principalis debiti, si contingat me in aliquo predictorum deficere; nichilominus ad omnia supradicta fideliter obseruanda corporale prestiti sacramentum. In cuius [&c. sealing]. Dat' apud Donelmum [*sic*] die dominica proxima ante festum sancti Dionisii anno domini supradicto.

601.

[About the recovery of a debt from the executors of Alan Fitz-Count.]

